







1.  
1.8  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9a.



1753.

1. <sup>1. 1753</sup> Baumgarten, Ligon. Tac. : De indole, auctoritate, numeroque  
Constitutionum aemulicorum. 2 Exempl.
2. Caradach, Joannes Philippus : De differentiis juris Romani et  
Germanici in Michonis in scriptis spontaneis.
3. Ultenberger, Fredericus Yuridicus : De juramento in verba  
magistri et in specie de cambiantibus ejusdem.
4. Trucker, Joannes Augustus : De cauto et sollicito  
caerminativorum usu.
5. Thonnis, Eneas Rudericus : De successione adpivorum  
in feuda
6. Koenig, Joan. Carolus : De differentiis juris Romani  
et Germanici in concedenda venia actibus
7. Michaelis, Augustus Benedicus : De beneficio a latere
8. <sup>1. 1753</sup> Nettelbladt, Daniel : De forma litterarum credentiarum  
legatorum. 2 Exempl.
9. <sup>1. 1753</sup> Nettelbladt, Daniel : De testamento nuncupativo et  
scripturam revocato.

1754.

1. Baumgarten, Sig. Jacobus : Dissertationis consecrationem  
sanctorum apud pontificios usitatum ad  $\alpha\pi\theta$   $\nu\sigma$   $\omega$   $\sigma\sigma\epsilon\upsilon\varsigma$   
veterum Annorum efficaciam ostendens.
2. Buchnerus, Andreas Elias : de praecipitatione chemica  
generalim considerata.
3. Carrach, Jan. Philippus : de dispositionibus parentum  
inter liberos nuncupativis.
4. Carrach, Joannes Philippus : Examen juris gentium solum.  
sacri circa curialia imperantium atque rerum  
publicarum.
5. Carrach, Jo. Phil: de fundamentis et applicatione  
collationis bonorum.
- 6<sup>a</sup> <sup>o</sup> Herder, Philippus Jacobus : de liberis, partibus in con-  
ditione, comprehensis etiam in dispositione  
2 Sept. 1754 & 1766.

7. Morrius, Guotter Fridericus: De filiofamilias cambiantibus.  
89. 6  
8. Marten, Georgius Samuel: De efficacia pacti familiae  
illustris aequato remotioni ius succedendi tribuente.  
2 Sampl.  
9. Marten, Georgius Samuel: De bonae fidei possessore  
singulari a restitutione fructuum perceptorum im-  
muni art. 1. 4. § 2. D. fin. reg. 2 Sampl. 1754 & 1771.  
10. Nettelbladt, Daniel: De simplicibus concursus credito-  
rum.  
11. Nettelbladt, Daniel: De decisione casuum quae  
fit pro auctoritate. 2 Sampl. 1754 & 1765.  
12. Ströbelius, Francus Fridericus: De methodo scientifica  
ejusque applicatione ad linguas docendas.





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
**MEDICINAM**  
 VERE ET FERÉ  
**MIRACULOSAM**  
 SISTENS

*Quam:*

AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Consensu atque Auctoritate Gratiſſe Facultatis Medicæ,*  
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
 PRÆSIDE ET PRORECTORE  
 VIRO MAGNIFICO

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**

SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEBURG.  
 CONSILIARIO SENIORE, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESS.  
 PUBL. ORDINARIO, ALUMNORUM REG. EPHORO SENIORE,  
 FACULT. MEDICÆ SENIORE ET P. T. DECANO SPECTABILI,  
*Domino Patrono, ac Promotore & Præceptore ſuo, omni honoris cultu proſequendo,*

**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMIſQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
 DOCTORALIBUS LEGITIME MORE MAJORUM IMPETRANDIS,

ANNO MDCCLIII. D. JULII.

HORIS LOCOQUE CONSVETIS

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJCIET

AUCTOR

**MATTHIAS HAFNER,**

COLMARIA - ALSATUS.

*HALÆ MAGDEBURGICÆ,*  
 TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.



VIRO  
PERILLUSTRI GENEROSISSIMO  
ET SUMME REVERENDO DOMINO  
DOMINO  
HENRICO CAROLO  
THEODORICO  
LIBERO BARONI  
DE DIEPENBROICK  
IN BULDER  
ILLUSTRISSIMAE ECCLESIAE CATHEDRALIS  
HALBERSTADIENSIS  
CANONICO CAPITULARI  
MERITISSIMO.

DOMINO MAECENATI AC PATRONO SUO  
PERQUAM GRATIOSO,  
SUMMO HONORIS CULTU SUMMAQUE OBSERVANTIA  
AD CINERES USQUE  
DEVOTE ET SUBMISSE  
DEVENERANDO.



IN  
DEVOTISSIMÆ OBSERVANTIÆ,  
TESTIMONIUM  
IN  
SANCTISSIMI OBSEQUII  
MAXIMÆ PIETATIS ATQUE REVERENTIÆ  
MONUMENTUM,  
IN  
SUI SUARUMQUE RERUM,  
EA QUA PAR EST, HUMILITATE,  
COMMENDATIONEM,  
CUM  
ARDENTISSIMIS,  
PRO  
ILLUSTRISSIMÆ EIUS PERSONÆ  
SALUTE ATQUE INCOLUMITATE  
MULTIPLICATIS  
VOTIS,  
PRIMITIAS HAS INAUGURALES MEDICAS  
DAT DICAT DEDICAT  
ET  
CONSECRAT  
TANTI NOMINIS

OBSEQUIOSISSIMUS ET DEVINCTISSIMUS  
CULTOR  
MATTHIAS HAFNER.



## PROOEMIUM.



erum est, potentissima summi Artificis manus mundum, tanta sapientia fabricatum tantaque rerum varietate ornatum, non solum sensibus nostris, acutie, alias satis penetrante, instructis, contuendum; sed etiam ceu theatrum, in quo rerum oculis obversantium naturae, elegantiae, varietas, actiones & mutationes, oculo simul ac mente perlustrandae, exquisitissima arte elaboratum disposuit & proposuit: tot, tantaeque tamen in eo naturae volumine occurrunt occulta rerum phaenomena, abstrusaeque mutationum viae, ut limitatus hebetatusque intellectus nostri vigor arcanum, sublimem & subtilem illarum Mechanismum ac nexum quandoque non nisi confuse rimari, aut rimando saepius nequaquam adsequi valeat. Hinc est, cur plurimorum, in rerum naturae obviorum, effectuum vix ac ne vix quidem pri-

mas, aut proximas, & effectibus pares, causas penetrare atque ostendere queamus; proindeque (nisi obscura haec mentis caligo necessario rationalis solidaeque Philosophiae lumine dissipetur & fugetur, vanaque opinionum recedat praeventio, insanave credulitas) non deterrimo, sed detrimentofo simul delapsu in fabulosas & superstitiosas abyssos & carybdes (ex quibus credula Antiquitas, Philosophiae solidioris subsidio ac praesidio destituta, & turbulentis confusisque praepudiciorum ac persuasivum ventis aëta & agitata, sese extricare nec potuit nec voluit; sed unice ad supernaturalium, tam divinarum, quam daemoniacarum, virium anchoram, nulli fundo ac firmitati inhaerentem, inepte confugiebat) praecipites agamur iisdem irretiti erroribus, quos prisca gens mortalium seducta detinebatur, quoad usque *Lux* sanioris Philosophiae *orta est iusto* purgatae & purae Religionis corpori, *rectisque corde laetitia*, de triumpho glorioso, ex fictis illis horrendis tamen pseudo-miraculorum, ex ecrebratis Romanorum Capitibus dolendo & doloso partu editorum, monstris, quae, prout iamiam ab omnibus, contra noviter exorta etorta & contorta Religionis dogmata protestantibus, Doctoribus per arma iustitiae & sanioris ac sanctioris doctrinae evangelicae, ex emancipatis Orthodoxorum conscientis fugata & profligata sunt; sed, proh! nihilominus in papicolae gentis animis sub gravissimo religionis iugo & durissimo conscientiarum mancipatu captis & gementibus, suam saevitiam & lugendam luendamque stragem adhuc exerunt: ita

ita ea a Fratre, indissolubili amoris ac amicitiae nexu mihi devotissimo, HECKIO tam singulari calami versatissimi acumine, quam copioso facundissimae linguae flumine debellata, acri & publico certamine disputatorio victa, victa & enervata fuere, dum in doctissima Dissertatione sua inaugurali *Medicinam pseudo-miraculosam* ostendente, omnes, Papistis adhuc pretiosas & speciosas, ceteris tamen meliora edoctis, otiosas nauseosas & merito exosas superstitionum, romanae ecclesiae solennium, species aperte delineavit, diserte refutavit, & fictas eas esse ac falsas, per rationes acres ac falsas, demonstravit, ostendens, quod non tantum praesumpta ac inter Papistas divulgata & credita miracula ac miraculosae curationes physice contingant, sed & quantum injuriae Deo atque etiam Medicinae inferant. Hoc ut is eo felicius gloriosius fructuosiusque praestaret, ad alterum extremum confugit, miraculorumque non solum actualitatem, sed & possibilitatem subtiliter ac viriliter oppugnavit, & ex fundamento decantati Nexus Universi, velut alter Cicero pro domo sua, pugnavit ac peroravit. Fateor equidem, praeter multas alias mutationes naturales, plurimos morbos horumque causas ac symptomata, ab imperitis & superstitionis naturalium confessariis ac iudicibus, supernis imputari viribus, atque ita perperam & temere multiplicari miracula: ex adverso autem non diffiteor, aequae difficile, si non temerarium, esse, omne divinum a Medicina excludere velle; aliud suadente & recta ratione & tot seculorum certa experien-

perientia, ne quid num dicam de Verbo Dei revelato, ad cuius testimonium provocare Medicum nec dedecet, nec pudeat. Tribus his firmissimis fulcris superstructam sisto **MEDICINAM VERE ET FERE MIRACULOSAM**, qua nec per excessum, nec per defectum me peccaturum, sed medio tutius iturum, reor, si thema, mihi praescriptum, eo elaboravero ordine, ut *Medicina vere*, a Deo sanctissimisque hominibus, & *ferè miraculosa*, a Daemonis hominumque maleficorum praestigiis atque etiam saepius abditis naturae viribus deriveretur. Proposita autem in re adeo occulta, & arduae probationis altiorisque indaginis, cum non necesse, neque prudentis sit, demonstrationes easque exactissimas & probationes, luce meridiana clariores exigere; sufficiat eo, quo fieri licuit, nexu & acu rem detexisse & tetigisse, ut Lectori benevolo, cujus moderatissimo examini & iudicio paginas has humanissime committo & submitto, satisfecisse, atque ea, quae doctorales in Medicina honores praerequirunt, pro modulo meo perfecisse videar. Cepta secundet Deus, in cuius honorem & gloriam, quidquid valeo, fieri volo.

§. I.

Medicina est Scientia.



mnis Scientia aliquid, circa quod versetur, quodque *objectum* illius sive etiam *subiectum* illius audit, ut habeat, necesse est, de eo enim, quod non existit, nulla datur scientia: cum non entis nulla sit qualitas, adeoque & nulla cognoscibilitas. *Finem* quoque certum, ad quem scientificum



ficum omnium cognitionum complexum dirigitur; scientia quaevis sibi praefixum teneat. Quicumque vero Medicinam hoc, quo gloriose splendet, pretioso cognitionum physicarum amictu superbientem ea, qua meretur, fronte serena intuitus fuerit: Scientiae nomine illam ipsam dignissime insignire & definiri; adeoque etiam circa certum aliquod subjectum occupatam esse, lubens fatebitur.

Inferant licet alii vel invidia in Medicinam seducti, vel adparentibus quibusdam rationibus inducti: Medicinam esse Artem: illam tamen scientiam (licet non rigore philosophico talem) cum Illustr. vñCHNERO singulari meo Patrono ac Praeceptore devotissime ad cineres usque colendo, nuncupare praestat.

§. II.

Quamlibet scientiam ab objecto ac subjecto suo specificari, scimus; eum autem, qui corpus humanum Medicinae objectum ac subjectum esse ignorat aut negat, nescimus; circa quid aliud enim insudant omnes Medicorum vires, quid aliud docet Medicina nostra, quam folius humani corporis propius examinare & plenius cognoscere structuram? Hanc vero vel integram, vel destructam, vel redintegrandam Medicis quotidiana proponit experientia; hinc & in tres praecipue partes medica sese disponit scientia. 1) *Physiologia*, quae corpus sanum respicit: estque scientia functionum actionumve, vel a fluidis vel solidis; partibus exserendarum; & mediorum, quibus integritas structurae & mixturae conservatur, cognitio. Huic ministrant Anatomia, Scientia situs partium: & Hygiene, quae est scientia rerum corpori vel salubrium vel insalubrium. 2) *Pathologia*, quae est scientia caussarum,

Habet pro objecto suo corpus humanum.

B

rum,

rum, quibus corporis humani integritas vel jam laesa est, vel laedi potest: Ad hanc spectat Semiologia, seu scientia ex signis judicandi. 3) Nec Medico revera nec aegro multum proderit, solummodo causarum morbificarum fontes novisse, ni simul omniam structurae solidarum ac mixturae fluidarum integritatem restituendi, pateat & innotescat via, quam *Therapia* docet, quae est scientia remediorum, ad morbosum destructae sanitatis statum redintegrandum, corpori rite applicandorum.

§. III.

Corpus hum.  
est naturae  
miraculum.

Quando quidem Medicina physiologicè elegantissimam corporis nostri structuram ejusque facultates penitius examinat; nonne magnum aliquod naturae scrutatur miraculum? Etenim, si AUGUSTINO acutissimi ingenii doctori, majus miraculum esse ipsa macrocosmi seu mundi sapientissima dispositio ac gubernatio, quam 5000. hominum de 5. panibus saturatio, visa sit: quanta non gaudebit miraculi praerogativa, regularissima microcosmi sive corporis nostri oeconomia vitalis? Hinc MANTUAN. l. II. sylvarum cantat:

*Omnia, quae in mundo fieri majore videmus*

*In nobis simili cernimus esse modo:*

*Cor, jecur atque caput, coeli sunt sydera, sensus*

*Est animus nobis, cum ratione Deus.*

Meditatione enim nostra arcanum generationis processum profsequi si lubet; quid mirabilius, quid quoque absconditum magis est, quam quod in ovulo materno embryonis jamjam contenta structura, vel etiam aliquod, inter alia plura in femine virili, imaginationis potius nostrae quam naturae lusu, reperta, animalculum spermaticum, medi-

mediantibus motibus, ita enutriatur, vegetet & in talem abeat formam, ut nec inveniatur, nec detur exquisitior in natura mechanismus, isto, qui ex harmonica partium nostrarum dispositione & conditione dependet. Quae sult unquam tam perspicue proposita Theoria, qua omnes totius oeconomiae nostrae actiones & mutationes, quamvis naturales, explicatione adaequari potuere? Quis nobis nexum modumque, quo ens illud immateriale in corpore nostro materiali non tantum non otiose residet, sed & operose agit, definire ac determinare valuit? Ita nempe res sese habet, ut strictissimi etiam mechanici ad sapientissimam creatoris dispositionem in phoenomenis quibusdam exponendis, provocare & confugere soleant. Unde *Physiologia*, summum naturae miraculum, artificiosissimam scil. corporis nostri fabricam peruestigando, *Medicinam*, si non vere, ad minimum *ferè* & improprie *miraculosam* constituit.

Mens nobis nulla est, vel corpus human. vel Medicinam hoc sensu ad supernaturalem quandam evehere dignitatem, neque hinc thematis adsumti demonstrare veritatem, quam potius ex ipsa pathologica & therapeutica consideratione stabilire adnitamur.

§. IV.

Quum physiologicae considerationi subjaceat *Sanitas*, quae est status corporis nostri naturalis, in aequabili regularique partium inter sese agentium reagentiumque motu placidoque functionum successu, laudabili fluidarum mixtione & solidarum integritate consistens: pathologico quoque examini committatur sanitati contrarius *Morbis*, qui est status praeternaturalis in quo vel motus vel

Morbis tamen everti potest.



functionum vel mixtionis humorum seu integritatis partium constitutio & consistentia naturalis laeditur. Omnes autem, qui corpus infestant, morbi ex genere scilicet eorum sunt, qui sunt praeternaturam; oriuntur tamen vel remote vel proxime ab innumeris specialioribus, functionibus partium vel remote vel proxime violentibus, mediis, *causae morbificae* dictis. Tristis vero nos docet continua experientia, etiam optime dispositum corporis mechanismum morbis everti & perverti, legeque, quibus in statu sano sub nexu quodam exactissimo actiones exeruntur, violari.

§. V.

*Causae morbificae sunt vel physicae vel hyperphysicae.*

Et si morbi, qualescunque fuerint, sint status praeternaturam, id est naturae corporis, legibusque, quibus ea regitur, contrarius atque ordinem & nexum illius quomodocunque evertens: causae tamen, ex quibus illos, tamquam ex duplici fonte, promanantes cum doctissimis & in re medica bene meritis viris firmiter statuere non erubescio, sunt 1) vel *naturales ac physicae*, quarum ratio sufficiens vel ad rerum naturalium, vel ad non naturalium defectum, aut excessum aut depravationem referri, ac proinde a rationabili Medico facile resolvi & invenire potest. 2) *Supernaturales ac hyperphysicae*, quae quamvis physicum effectum, morbum nempe, producant, illae tamen in tantum ratione nostra adaequate pervestigari & plenarie erui haud possunt, in quantum rationem sui sufficientem non in actionibus & adplicationibus physicis, sed principaliter & primario in viribus supernaturalibus, habent. Dari autem morbos a causis supernaturalibus inductos, Medico, naturae ministro, non obedientes, sed divina

vina poscentes auxilia, & recta ratione & experientia probare, in proclivi est: Duobus enim hisce fulcris tota nititur humana cognitio, accedente autem revelationis testimonio praecipue eruditur.

Totum igitur, quod de morbis est, opus ad id redit, ut diligenter examinemus: *Quis* supernaturaliter infligit morbos? *Qui & quales* ii sint, & *quomodo* inferantur & tollantur? planior hinc, ad miraculosam Medicinam perveniendi, patebit via; quum cardo potissimum versetur in eo, ut rem intricatam extricemus, operae pretium est, de toto hoc negotio paullo prolixius agere.

§. VI.

Nec venerabilis nostri Antistitis HIPPOCRATIS *l. de morbo sacro & l. de morbis virginum*, notitia veri Dei attributorumque divinorum destituti, autoritate deterritus, nec recentiorum quorundam opinione abductus, Deum hominibus morbos infligere posse non modo non absonum, sed rationi conforme esse & duco & dico. Priusquam autem ratiociniis illud evincere conabor, doctissimam AUGUSTINI sententiam desuper prolatam & probatam attente excipiamus. *Sicut Deo non fuit impossibile; ait l. de civitate Dei, quas voluit naturas instituire; sic ei nov est impossibile, in quidquid voluerit, quas instituit mutare.* Et *L. contra Faustum MANICHAEUM 26. Cap. 3.* inquit: *Deus creator & conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit; id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, a quo est omnis modus, numerus & ordo naturae.* Clarius paullo post: *Contra naturam non incongrue dicimus Deum aliquid facere, quod facit contra id, quod novimus in natura; hanc enim etiam appellamus naturam, cognitum*

*gnitum nobis cursum solitumque naturae: contra quem Deus, cum aliquid facit, magnalia vel mirabilia nominantur: contra illam vero summam naturae legem a notitia remotam, sive impiorum sive adhuc infirmorum, tam Deus nullo modo facit, quam contra se ipsum non facit. Ita acute & vere ostendunt, nec contra Dei potentiam, nec contra ordinem naturae esse ac absolute repugnare, morbos a Deo inferri; quod & ratione demonstratur.*

§. VII.

Probatur

1.

Morbi a Deo immediate inflictī non destituunt naturae ordinem. Etsi enim Deus omnia singulorum entium genera universali quodam comprehenderit ac composuerit systemate: existentiam tamen singulorum ita laxē & contingenter sese habere voluit, ut, uno horum languescēte, vel etiam pereunte, universale illud causarum naturalium generumve systema integrum & inviolatum subsisteret. Ergo multo minus ordinem Universi invertēre poterit inflictus a Deo morbus. Neque probari ex adverso potest, existentiam singulorum strictissime in nexu comprehensam esse, hoc quidem sensu, quod Deus libertatis & omnipotentiae suae incircumscriptae agendi, existentiamque unius alteriusve entis ad libitum vel per morbos infirmādi, vel morte tollēdi, actum & vim remiserit, aut amiserit. Praeterea quis evincet, morbos inducere Deo repugnare? Vel hoc ideo; quoniam morbi sunt status, in quem redigitur homo, sanitate deterior, atque Deus vi Nexus, omnibus bene & sapienter factis, nihil deteriorare, imo nec meliorare valet? Vel quia malum inter homines disseminare bonitati divinae haud convenit? Non primum; siquidem morbi morsque ipsa genere

2.

3.

nere ad nexum pertinent, & causam sufficientem in altero agente positam habent: quidquid autem in nexu est, ut sic malum ac status deterior respectu nexus non est, licet id sit respectu subiecti, quod affligitur. Quis insuper disputabit, morbum aliquem a Deo immediate inflictum, extra conceptum nexum esse? Potuit enim Deus in formando Universi systemate aeque bene hunc, ac alios, praevidisse & eo comprehendisse: atque hoc in casu Deus non deterioraret statum hominis, cui morbum, qui iam nexui inesse poterit, superinducit.

Ingeres utique: quodsi Deus morbum quendam supernaturalem (de quo unice nobis sermo est) praevidit atque in nexu comprehendit: naturalis non supernaturalis praedicato accipiendus is erit. Ad hoc respondeo, morbum non ideo solum supernaturaliter ac miraculose esse inflictum, quia a Deo praevisus, sed quoniam ab eo immediate & absque causarum secundarum concursu, illatus est: de quo plura in decursu dicentur.

§. VIII.

Quantumvis optimo & sanctissimo Enti divino, morborum plagis genus humanum cruciari, haud convenire putant, decepti tamen, cum HIPPOCRATE multi: Cum tamen morbi mala universi non sint, sed potius individuorum, quae tanguntur, afflictio, qua iustissimus simul Arbiter ex aequo iudicio & sapientissima dispositione, ira & poena dignos plectendi & jus & potestatem atque potentiam habet. Quandoquidem bonus finis bona, non mala, quibus mediantibus ille attingitur, exigit media: finem autem malum a Deo unquam intendi, blasphemum est cogitare. Hinc & morbi, quibus finis utique bonus

bonus (perverfos scil. legum transgressores puniendo vel convertendi, vel tristi horum perditionis & punitionis exemplo alios erudiendi) a Deo obtinetur, de se mali non sunt; adeoque etiam divinae bonitati, eos hominibus infligere, adversari nequaquam credendum est.

§. IX.

5. Et vero qui poterimus aliter, tot instructi exemplis & comminationibus tam veteris, quam novi foederis? *Exempla* luculenta suppeditant Lepra Miriam *Num. 12.* qua septem diebus laboravit, quod in fratrem Moysen murmurasset. Moysi quoque manus leprosa, *Exod. 4.* Nec non Oziae regis Judae, qui, quod sanctuarium Domini fuisset ingressus, ea correptus tota vita laboravit. *Lepra Naaman adhaerebit tibi, o Gebazi, & semini tuo in seculum.* Et egressus est a conspectu eius leprosus, sicut nix. *2 Reg. 5.* Plaga Domini vocatur *2 Paralip. 26.* Languor alvi insanabilis jorami toto biennio. *2 Paralip. 21.* Bra- chium arefactum Jeroboami ob Prophetam apprehensum *3 Reg. 13.* Unde tot clades exercituum? occubuit unica nocte omne Aegypti primogenitum. Assyriorum autem centum octoginta quinque millia interemta in castris *4 Reg. 14.* *Esaiae 37.* & *2 Paralip. 2.* Davide populum numerante intra triduum septuaginta millia virorum misere periere. Unde melancholia Saulis, tribulationes Jobi, Sarae maritorum funera, coecitas Pauli tridua, tot denique afflicti in Evangelio? *Comminationes* quod attinet, eae admodum severae in legis transgressores reperiuntur *Deut. 28. Exod. 15. Levit. 26. Num. 12. &c.*

§. X.

Porro in arbitrio quoque Dei est, vel immediate,  
vel

D<sup>e</sup>us per an-



vel mediate per angelos suos nempe ministros, vel per <sup>gelos immittit morbos.</sup> daemones, supra ordinem ac vires naturae tamen, fontes, aut quos visum fuerit, punire. Equidem GALENUS non ster & AVICENNA non videntur admisisse morborum irrogatores seu immissores daemones; imo ipsum HIPPOCRATEM in partes suas trahere non dubitavit PERGAME-  
 NUS. Verum HIPPOCRATI longe quidem aliud tribuit *Andr.* CAESALPINUS admirator ejus: reliquis autem opponimus, quidquid optimorum ac pie eruditorum Medicorum est. AVICENNAE vero interpres sic habet: *Excantationes naturaliter effectum non habent, nec vim omnino ullam demutandi hominis sanitatem in aegritudinem; quod qui arbitrantur, ipsimet sese excantare videntur, imaginatione corrupta. Uno tamen modo hoc evenire posse, fatendum est, si divinae censurae Majestas id adnuat. Quamquam autem non dixerim cum Joh. SPONDANO in Homeri Odysseae ubi de Lycanthropis agit, Dei bonitatis esse & ad ejus gloriam pertinere tam admirandos effectus creaturae, nempe Daemoni, concessisse, (non enim Deus in Beelzebub operatur, nec per se, nisi ut causa universalis, nec per accidens juvat magicas incantationes, sed longe aliter per angelos bonos agit) haec tamen ita fieri & juste quidem in hominum poenam fieri, in confesso est, & ex sequentibus constabit argumentis.*

§. XI.

Et velle & posse subdolum hunc veteratorem, ea <sup>Spiritus in corpora operari possunt.</sup> qua pollet, naturae rerumque humanarum peritia, mille modis hominibus nocere ac supplantare, *Dissertatione medica de Potestate diaboli in corpus humanum*, Vir magnificus D. D. PRAESES longe celeberrimus & Praeceptor meus



devotissimo cultu prosequendus, tam solide & clare proposuit, ut, quod opponeretur, vix detur: Cujus ratiociniis innixus, paucis rem probo rationibus. Omnis spiritus naturaliter ac essentialiter vis est, facultate agendi gaudens: facultas ista seu vis motrix spirituum corporibus communicari potest; sicuti ipsa prima motus emanatio & derivatio in materiam succedit a causa & principio immateriali; (conf. DN. D. PRAESIDIS doctissime conscripta Physica) nullum enim corpus se ipsum movere vi propria motrice, haecque ab illo essentialiter differt, adeoque motus materiae proprius non est. Unde ex pura necessitate consequentiae fluit: Spiritus habere imo & esse absolutam & essentialem facultatem, corpora movendi. Neque tantum spiritus in subtilem, sed etiam in crassam materiam agere possunt; qui namque relationem & efficaciam motus in & ad materiam intellexerit, is facile etiam perspiciet, quod debilior & minor gradus motus a tenero puero exercitus, rite concentratus, aequè bene corpus plurium centenariorum agitare & movere possit, ac validior & non concentratus: quod cum multis experimentis mechanicis stabilitum sit; ecquis erit, qui dubitet, subtiliorem emanationem motus, e spirituali causa movente provenientem, habere absolutam necessitatem non tantum ad subtiliora, sed & ad crassa corpora pertingendi eademque contingendi? Quid quod vires spirituum, ex carcere corporis liberatorum, potentiores, tantoque magis corpora motibus afficere & dirigere possunt, quanto subtiliores & concentratiores illae sunt.

Hanc quidem veritatis lucem velamine apparentiae obducere & obscurare videretur notum, sed & fictum hoc dictum:  
*inter*

*inter corporeum & incorporeum nullum dari commercium  
sive nullam relationem activitatis & patibilitatis*; quod,  
quemadmodum petitionem principii satis luculentam olet,  
falsum esse ex pluribus phaenomenis & mutationibus, ab  
anima nostra, vero utpote spiritu, in corpus exeri solitis,  
ad unguem, nisi proposita disserendi brevis abrumperet  
juberet, probari posset. Conf. Dn. D. PRAESIDIS vix non  
innumera & immensa, de hac materia solidissime tractantia,  
opera. Item Excellent. & celeberrimi JUNGKERI, Patroni  
& Praeceptoris mei nunquam non colendissimi, *Conspectus  
Physiol.*

§. XII.

Daemones sub spirituum genere comprehendi, ac  
proinde veros spiritus eos esse, quis ignorat? eos praeter  
ea vim, in materias ac corpora agendi, habere, quis negat?  
Quum enim donorum naturalium nullum peccando  
amiserint; adeoque angelica eorum essentia non interie-  
rit: magnae virtutis, virium valentissimarum, calliditatis  
incredibilis, sapientiae plusquam humanae, artificiique  
technas perniciosissimas fucis specioso struendi, incompara-  
bilis illos esse, patet. Nescunt porro illi sympathias &  
antipathias rerum naturalium; nescunt qualitates, rebus  
quibuslibet peculiare; nescunt accurate, quid valerudini  
hominis noxium, quidque commodum; nescunt proinde  
quid agiter humores prae in corpore latentes, quid bo-  
nos corrumpat, structuramque solidorum laxet vel lu-  
xet; Nescunt & hinc partes membranaceo-nerveas gra-  
vissimis passim afficere doloribus diuturnis & acerbissimis  
excarnificare cruciatibus, horrendis & inauditis corpus  
agitare motibus, multifariisque phantasiam turbare mo-  
dis; sic proinde diversis, sed & fonticis corpora hominum

Daemon po-  
test morbos in-  
ducere corpo-  
ribus human.



inficere & afficere morbis. Deo nimirum permittente, quanta non sunt stupenda! quanta Magi Ægyptii præstant in Exodo! Pluir ignis coelitus, ruit in oves Jobi, procellae impetuosæ commoventur, convulsæ ab imis sedibus domus diffringuntur, disjiciuntur, & illius liberi opprimuntur.

Conf. *Tob.* ANDREAS *Tract. de malor. angelor. potentia in corpus.* CLERICUS *in Pneumetol. sect. 2. cap. 4. p. 79.* Item *Job.* LANGIUS *l. 2. Epist. 34.* ventilans hanc Quaestionem: *an Daemones humana corpora morbis affligere queant?* Dn. D. PRAESIDIS *Jurisprudencia medica, Part. I. cap. XI. §. 10. not. a.* Ejusdem *Pathologia Sect. XI. p. 921. Praxis Univers. pag. 906. Casp. REJES. Camp. Elys. quaest. 97. n. 10.* GULDENKLEE *l. 7. n. 290.* BARTHOLINUS *de morbis bibliis cap. 19. p. 64.*

§. XIII.

Daemoni nec plus nec minus, quam par est, tribuetur.

Non nego, doctrinam, de Daemonum in corpora potestate satis frequenter perverse tractari, ita ut quidam fatuitate animi, superstitione & credulitate occaecati, plus quam vera, sobria & prudens diversorum effectuum penetratio, conciliatio & deliberatio permittit, illis tribuant. Unde interdum contingit, quod illis ipsis quandoque impotentur adscribanturque vires, quae soli Deo competunt. v. g. quasi futura promiscue indicare, immediate cogitationes hominum scrutari; verum & perfectum corpus naturale formare, ex nihilo aliud efficere, corpus humanum quoad omnes partes absolutum producere ac per generationem propagare, amissamque illius partem integre restituere possent: quas, quibusque similes fabellas plurimi, papicolarum superstitione & ignorantia obnubilati ex numero plebis & doctorum defendunt. Unde Daemonum

monum praestigiae multis sunt asyllum ignorantiae in morbis praecipue intricatis, quodsi eorum causae, etsi naturales fuerint, ignorantur. Ita *Sophon KOZACK in dedicat. tv. de Haemorrhagiis*, omnes morbos a Daemoniis deducere non verebatur. Absit ergo statim cum vulgo indoctisque Chirurgis Veneficia daemoniaca declamare, quoties in morborum rariorum & archealium symptomatibus extricandis ac cognoscendis rationem promte indagare & indicare nescimus. Absit quoque proterve & pertinaciter omnem, morbos hominibus infligendi, potentiam iis plane denegare: Quantum enim ii in hoc genere valeant, omnium temporum, licet non omnes, verae testantur historiae.

§. XIV.

Considerata Spirituum, Dei scilicet angelorumque tam lucis, quam tenebrarum, in morbis disseminandis potentium, facultate & activitate, oculos paululum convertamus ad homines, quibus, morbos prodigiosos excitandi, potestas, vel a Deo largiente, vel Daemone surrogante, inest. Sicut enim per homines, probos tamen, Deum aliquando stupendos affectus, in poenam hominibus, irrogasse liquet ex Aegypti plaga sexta; in reera dum Moses & Aaron cinerem de camino in coelum spargunt, foedis ulceribus & pustulis divexatis Aegyptiis: ita ut, ab hominibus Daemone mancipatis, istius sui magistri ope, durissima symptomata & morbos dirissimos hominibus inferri posse, multis hic probare, sit operam ludere. *Malefici aut Venefici* sunt, qui, instructi Arte magica, qua ope Daemonis alteri damnum parant, morbos excitare & causari norunt. De prificis Corybantibus, quorum 32. credebantur maleficia

Ab hominibus quoque morbi supernaturales inferri possunt.

inferre, & 20. alii eadem amovere, videri potest APOLLONII *Scholiasfes l. 1.* Tales praestigiosos illufores, variis divinationum & fascinorum larvis deludentes, iisque impofturis Medicinam foede confpurcantes; venenis nimirum & philtris ex quacunq; materia paratis & propinatis, illitis five reconditis, atrociffima fymptomata in beftiis pariter ac hominibus cientes, Medicis quoque tantum negotii creantes, omne pene aevum tulit.

Vide *Bapt. CODRONCHII l. de Veneficiis & morbis venefici.*

§. XV.

Acerbillimi  
ab illis infe-  
runtur morbi.

Oftenfis vifisque extraordinariis morborum inflitoribus, accurato ftrictiorique examine indagemus indigitemusque varias affectuum, fuperne & occulte illatorum, fpecies cuique cauffae proprias & proportionatas. Pleni funt tam Philofophorum, quam Medicorum, juriftarum, Theologorumque libri; plenae funt & faerae & profanae Litterae, Hiftoriae ac praecipue Obfervationes medicae; plena funt omnis temporis allata exempla, quam horrenda, captumque omnium Philofophorum excedentia, morborum, qui aut vindicem Dei dextram, aut diabolifimum fapiunt, genera; & in iis admiranda, quae naturae vires longe excedunt, fymptomata. Etfi autem corporis Oeconomia, phyficarum rerum abufu, eo usque laedi poffit, ut acerbillimi inde oboriantur morborum infultus; longe tamen acerbiores & minus ratione adfequendi, atque, rationabiliter etiam applicatis remediis, minus tollendi ifti funt, quos *morbos divinos*, fupernaturalisve vocamus: de quibus vid. JORDANUS *Diff. de eo quod divinum eft in medicina*, quam, etfi judiciofe difpofuit, tamen

men plerumque fabulose composuit, & historiis, minus fide dignis, innixam ira reposuit, ut filium eius sequi vix tute liceat.

Non ignoro, *Petr. POMPONATIUM* Mantuanum, sicut omnium miraculorum, ita & morborum coelitus imissorum ac supernaturalium fidem infringendo, hoc modo saregisse; dum imaginationi & coelorum influxionibus, quidquid mirabilem in natura est, adscripsit. *THEOPHRASTUM* quoque *PARACELSUM* praeposteram illam imaginationem cum reliquis deliramentis magicis, postliminio ex orco revocatis, produxisse. Sed de his & aliis apte sonat: *dum vitant stulti vitia, in contraria currunt.*

§. XVI.

Quemadmodum supernaturales nomino morbos, quatenus modo, naturae vires excedente & rationis captum superante, infliguntur; atque hinc vel iusto iudicio a Deo, vel, permittente eo, a spiritu, vel malevolo quodam homine: ita eosdem in duplicem dispesco classem, eorum scilicet qui 1) a Deo spiritibusque coelestibus infligi solent, &, quamvis nihil contribuentibus ullis causis morborum procatarteticis, ad certum quoddam genus referri possunt. Sic tridua coecitate percutitur Saulus; Zacharias loquela privatur; Jeroboamo exaruit manus, quam extenderat contra prophetam, nec valuit retrahere eam. *3 Reg. 13.* Optimi parentis filium, sed & crudelissimum fratricidam Joramum percussit Jehovah in intestinis infirmitate, cui non erat medela; longaque consumptus tabe, egressit intestina sua, mortuusque est infirmitatibus malis. Sic lepra Judaica *Lev. 13.* parum a divina ultione aberit. Sic etiam tyrannorum Christi fideles opprimentium, iniqua & inhumana facinora morbis & morte, occulta quidem vi, sed aperta

Affectus a Deo immisi.

aperta morborum poena; punita legimus: Huc refero historiam, quam de SERRES commemorat de Carolo IX. Galliae Rege, qui haemorrhagia, ex omnibus excretoriis erumpente ac profuente; functus est crudelissima sua vita, sanguine tot innocentium in nuptiis Parisiensibus profuso. Prout olim angeli 2 *Maccab.* 3. percusserunt plagis Heliodorum, cum spoliis templis intenderet: Herodesque praeter alia infanda symptomata, pudendorum quoque putrefactione, vermibus scaturiente, divexabatur.

In recensendis SS. & recentiorum temporum historiis, fidem meam ne decoquam, non immorabor, dum isthaec sufficienter miros, quos Deus infixit, morbos ostendant.

§. XVII.

Atroces affectus a diabolo caussati.

2) Hos autem ipsos, qui per diaboli activitatem sese exserunt, morbos maxime implicatos, intricatos, perversos, contumaces, inque motuum vitii consistentes, curatu difficillimos quoque esse, quis ambigit? Produunt enim sese crudelissimis spasimis & convulsionibus, alterationibus in animo abstrusis; & cruciatibus in corpore confusis. Talia sunt *insomnia diabolica*, de quibus REJESIVS *q. 37. p. 449. 458.* *Inedia daemontica*, quam describit REJESIVS idem *q. 5-8. p. 431.* *Ecstasis diabolica* cujus meminit MARCUS MARCI in *Philos. restit. P. 3. subs. 5. p. 569.* PEUCERUS *de var. divinat. gener. REJES. qu. 81. p. 1069. 1070. n. 5.* GARMANNUS *de miraculis mortuor. dissert. praelim. Sect. 1. §. 28.* *Convulsionis horrificae.* Veluti apud AUGUSTINUM *l. 22. c. 8. de Civit. Dei*, de decem liberis, prope Caesarem Capadociae a matre enecatis, habetur. Aut *Spasmo bolotnico* mirandum in modum corripiuntur, ceu Westphalae mulieris filius, diris devotus apud Laur. ANANIAM reperitur.



tur. Inscrutabilis *noctambulorum* (quorum affectus saepe numero naturales esse non negaverim) *inquietudo*, actionumque eorum miranda varietas, quae neque ad fortissimam imaginationem, nec ad spumantem & multo fervido spiritu abundantem sanguinem, nec ad deliria sui generis (sensus enim communis non laborat confusa, more delirantium, agitatione) referri potest; ut hinc, supra naturam aliquid subesse nisi admiseris, verear, ne integris sensibus magis delires, ac somnambuli isti ligatis; quale notatu dignum exemplum Magnif. Dn. PRAESES, quod prudenti ejus observationi innotuit, recensere potest.

§. XVIII.

Homines inter, quos, volente, vel potius permittente Deo, affectuum durorum & dirorum effectores constituimus, bonis volente, & malis permittente Deo morbos mortemve inferendi vim tribuere, experientia jubet. Dum enim Christianorum nullus ignorat, foedis ulceribus & pustulis divexatos fuisse Aegyptios, Mose & Aarone cinerem de camino in coelum spargentibus. Petroque devolente & uxorem & maritum subita morte correptos fuisse: Id quod sacrae de bonis, & prophanae paginae, sed non semper fictae & vanae, de malis ac veneficis testari solent. Et si quoque poetarum auctoritas parum habeat, in probando, ponderis, non tamen omne sui perdit, in afferendo, vigoris; poetarum namque fabulae semper ex vero suam trahunt originem. Hinc veneficia Circes HOMERUS descripsit; de qua etiam VIRGILIUS: *Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis &c. In 4. Aeneidos* Dido ad sororem Annam de Massylae gentis sacerdote quadam venefica potenti nocere. Glorietur de talibus Venefica apud OVIDIUM. Sine fabula quoque canit NASO de Medea:

Item ab hominibus illati.

D  
*Devo-*

*Devovet absentem, simulacraque cerea fingit,  
Et miserum tenues in jecur urget acus.*

Sic complures miseri, Veneficarum personarum malitia cruciati, doloribus acutissimis, punctiōibus, inflationibus, dejectionibus vomitibusque, naturae modum & viam excedentibus; cum prodierunt araneae copiosae, impliciti crines, ligna, spinae, ossa, opilionis subligaculum, sedae porcorum, pelli inhaerentes, acus, ferramenta, stramen, cornu, lucernae, pennae pavonis, Olivaria corpora 60. una vice ex foemina, fera quadrupes hirsuta; Item per vias urinarias culmi hordeacei geniculati, fungi, pilorum integri fasciculi, lanae, filamenta duplicata cum nodo, draco alatus, conchilia, membranae lanosae, velut ochra tinctae, ac varii monstrofi vermes & animalia. Non minora infliguntur mala *Pbiltris*, amoris odiive conciliandi administris, quorum alia menti soli, alia menti & corpori obesse, scimus. Prioris generis sunt ut plurimum Incantationes nudae, posterioris vero, quae per Illigationes aut contactum fiunt, si maxime intus adsumuntur; quum saepius mista venena habeant, ut verum sit illud *ovidii*:

*Pbiltra nocent avimis, vimque furoris habent.*

Cujus duo ipse vidi miranda exempla; unum in Gallicae linguae quondam praeceptore meo, Huttin, alterum in officiali quodam legionis Suecicae, Coronon-Weissenburgi eodem, quo ibi degeram, tempore habitante. Nec praetereunda est ominosa illa *Nodatio* de qua *DN. D. PRAESES in Jurisprud. med. p. 1. c. 2. ff. 16. lit. a. b. p. 32.*

§. XIX.

Hos affectus  
non naturales  
sed supernat.

Et si haec, quam ingenue tradidi & tractavi, morborum, captum sane nostrum & naturae leges superantium, series

series ex tam miro deducta sit fonte, ut ab obrectatorum, esse, demon-  
 de principiis causisque morborum tantum naturalibus itratur.  
 fallitorum ac instructorum altaque nequaquam sapientiam, cavillationibus vix libera ac intacta defendi & servari queat: eam tanto verius sinceriusque supernaturalibus his causis adscribere, audeo; quanto inadaequiores sunt, quas illi vel imaginationi, vel peregrinis miasmatis, vel occultis naturae viribus attribuunt, rationes. Quis enim (rectum namque est regula curvi) vires naturae physicas penetrans & aperte sciens, symptomata & phaenomena morbosa cum legibus ac viribus sibi notis conferendo, non perspecte judicabit: illa his esse superiora, nullamque aut vix aliquam in his latitare rationis sufficientis umbram? Quis fide dignissimorum, naturae scrutatorum, Medicorum authoritati pondus detrahere, speciemque facti negare audebit?

§. XX.

Cum PLINIO l. 7. c. 2. de Prodigiosis quibusdam gen- Dubia haec fa-  
 tibus utique argues: *Haec & talia ex hominum genere lu- cienda solvu-  
*dibria sibi, nobis miracula, ingeniosa fecit natura.* Verum untur.  
 tamen etsi non negaverim, cum natura nunquam sit otiosa, posse eorum nonnulla etiam naturaliter, utut extra ordinem consuetum, in corporibus hominum generari. Quid enim Pica seu Malacia (quae est appetitus depravatus rerum vel ad nutritionem prorsus ineptarum, vel in quantitate aut qualitate vitiose se habentium). Communis est gravidis mulieribus? Quidque frequentius non melancholicis solum, sed & Phrenitidis & Paraphrenitidis delirio raptis, quam lapides, ligna, carbones, cretam, lutum, saevum, candelas, testas cochlearum, animalium (s. sit v.*

verbo) stercora, foenum, stramen, pilos, pisces, mures vivos carnesque etiam humanas crudas devorare; ut, si quid vel per abscessus, vel per excretorium quoddam depositum ac emissum ex corpore fuerit, non nisi naturaliter totus processus sese habere videatur. Quod cum ambabus largiar manibus, quis est qui indifferenter adferet; Ex eo quod ii, quorum phantasia corrupta est, aliquando peregrina & inepta ingerunt corpora, eademque forte adhuc integra egerunt: Ergo omnium, qui monstrosa talia egerint corpora, phantasiam fuisse corruptam. Adplaudente experientia & distante continua Medicorum observatione consequens istud tanto securius negatur, quo magis certum est, & Gravidas & Melancholicos citra levissimam sanitatis noxam, quidquid injucundum natura alias abhorret, deglutire. Nec, si morborum quandam sese hoc stupendo modo exseruisse legimus, eundem vel Gravidas vel Melancholico; sed iis, quos nulla Melancholiae confusio stimulavit, obtigisse reperimus. Quid quod sanae rationi conforme est Deo, Daemone & Naturae tribuere vires, quae cuique propriae sunt; sicque tam vitia proterve negantium, quam errores superstitiose credentium evitare; cui obinendo finis, modum, quo 1) Deus, 2) Daemon, 3) probi & 4) improbi homines inferunt morbos illos supernaturales, paucis demonstrationibus ostendendo, faciam satis.

§. XXI.

Quam constantis etiam veritatis sit; Deum, vel ad emendandas futuras, vel ad puniendas praeteritas hominum actiones, graves morborum non tantum infixisse, sed & infligere adhuc posse plagas; tanto tamen magis  
inco.

Quibus modis  
morbos hos  
inferat.  
1) Deus im-  
mediate & in-  
scrutabiliter.

incognitus, minusque scrutabilis est, quo id praestat, modus. Enimvero omnes omnium corporum vires Deo, utpote suo formatori, subsunt, parentque; ex illius nutu cuncta, quae Univerfus sinu ac nexu suo amplissimo fovet, dependent. Ergo, quidquid Is in rerum natura serio fieri voluerit, fiet eo, quo res ab illo dependent, modo: Sed hic immediatus est. Hinc & Deum immediate operari in natura, luce meridiana clarius est. Finitos nostrae, ignorantiae crassitiae obductae, rationis terminos transcendit arcana divinae Voluntatis, in hominum corpora immediate operantis, actio, qua subito functiones corporis turbantur, motus naturales vel exacerbantur vel imminuuntur vel prorsus auferuntur, partes suo officio destituuntur, humores circulantes confunduntur, atque Oeconomia vitalis vel in tantum vel in totum evertitur.

Explosae jamjam transiere, cum ceteris erroribus, credulae Antiquitatis nugae, quae Deum, mediante astrorum in corpora influxu, mirabilium morborum auctorem laboriose excogitavit.

§. XXII.

Quoniam potentissima Domini manus non est abbreviata, nec ullo rerum nexu ad certas leges determinata, alligata ac restricta; sed semper libera, aequaliter, ac in creationis instanti, omnipotens, solaque voluntatis suae virtute efficax: longe alio (bonos semper ad fines) quam Daemones, modo morbos, prout & reliqua excitat. Illi enim bona semper volenti famula obsequitur natura; his autem malum malis actionibus intendentibus scopum, non solum libere & naturaliter non subest, sed etiam resistit in tantum, ut, si oeconomiae vitalis destructionem ac confusionem

II) Daemonis  
modi inferendi  
morbos.

1) Animales  
functiones  
turbando.

tionem morbis excitare voluerint, isti non virtute imperii, sed instrumentorum malitiosorum proximior ad corpus applicatione id ipsum efficiant: Et quidem triplici hoc, generaliter tradito, modo. *Primo* dum ipsam animam corrumunt, perturbant, eidemque perverſas ideas & phantasiaſ, ſecundum quas illa dein confuſos tales in corpore motus elicit, inſnuant; anima namque confuſis ideis agitata, turbulentas in humoribus ciet procellas. Quandoquidem hominis ſenſa immediate perſpicere & movere reneſque ac corda ſcrutari, ſolius Dei eſt; hinc Daemones, ad turbandas animae facultates, diverſis utuntur mediis: dum vel ordinarias functiones vitales cum moraliſus conſentientes acute & callide advertunt, explorant, connectunt & ſecundum illas ſubinde ſuas illuſiones & ſuggeſtiones inſtituunt, hominumque temperamentis, imprimis melancholicis, abutuntur. Teſtantibus idipſum CONRINGIO *Diſp. de incantationis efficacia circa morbos.* BEHRNS *in Pneumatol. med.* REJESIVS *l. c. qu. 27. 28.* DE THARDING *de obſeſſione ſpuria, A. N. C. Cent. 9. obſ. 29.* & BORELLUS *Cent. 2. obſ. 22.* Faſcinum ad infaniam, atque *Cent. 1. obſ. 91.* cum CAESALPINO *de daemon. inveſtig. c. 10.* Faſcinum ad odium allegat. Adeoque anima in ſuis naturalibus functionibus turbari a Daemonibus ſoler & valet, vel per *faſcinum*, vel per *inſomnia*, de quibus REJESIVS *l. c.* ut & per varias terrificas illuſiones, apparitiones, & qualiacunque alia glaucomata, ſenſus hominis graviter ferientia & afficientia, horridamque mentis pariter ac corporis commotionem efficientia. Confuſa his aliisque modis anima, varias deliriorum ſpecies, corpus in conſenſum trahentes, ortum a Daemonibus trahere poſſe, quis dubi-

dubitat? Haecque omnia in hominis perniciem, non instrumentis & subsidiis naturalibus, in animam moliuntur ac exercent, modo prorsus spirituali, quo qua spiritus cum anima ideas communicare, immoderatum gaudium, timorem, terrorem, moerorem, desiderium, affectum vel iracundum vel voluptuosum excitare possunt; aequae ac homo homini, sine mediis crasse materialibus, sed verbis, gestibus &c. offensiones, iram, amorem, corporisque noxam parare valet.

§. XXIII.

Altera autem, quod nempe Daemon potestatem suam in corpus humanum, mediantibus subjectis naturalibus, exercent, methodus, ratio & alteratio ista est: dum scilicet ipse subjecta illa subtili modo corpori insinuat ac applicat. Quod si enim is sagax & fallax est philosophus, qui sympathias & antipathias rerum naturalium acute & astute novit, ut inde evenientium effectuum ac affectuum consequentiae ei prorsus incognitae haud sint, parum (nisi quod ex parte Dei prohibentis est) hinc difficultatis, in fruendis fraudulentis his technis, insinuandisque corpori materiis morbificis, patitur. Etenim si (ut SEBIZIUS in *diff. de contagio ait*) contagium homine inscio insensibiliter, naturali tamen modo communicatur; quidni perniciosorum subjectorum communicationem hac quoque ratione contingere autumemus? Quis namque eorum, qui frustra vitri, fragmenta testarum, fasciculos sili, straminis, capillorum &c. partim per loca excretoria, partim per abscessus ejecere, unquam sensit, sibi tale corpus peregrinum intrudi? Cum tamen subjecta aut sint naturalia, & naturaliter eliminata, ultra proprias tamen naturae, sed per daemonis

2) Materias nocivas corpori subtiliter insinuando.

monis vires id contigisse, concludere licet. Utrum autem talia subjecta insinuet hominibus integra? an per minutissima ramenta illa congerat; eademque, ut in sua congerie forma & figura rursus compareant, pro sua artificiosa energia iterum conglomeret? nec volumus, nec debemus explorare. Opinantur aliqui, cineres & limaturas eorum, quae vel vomitu, vel depositione alvina vel mictione, vel sudore, vel abscessibus egeruntur, magno Tentatoris artificio in ventre posse redintegrari, quod HELIDAEI PADOANI, Bononiensis hospitatis Medico, placuit asseverare. Alii statuunt, ut BINSFELDIUS, daemonem dormientium festo corpore, clam haec ingerere, subito rursus subducta cicatrice. Alii, daemonem cutis poros, imo & gulam adeo distendere existimant, ut grandioribus etiam materiis introitus ac exitus pateat. Et si opiniones istae sane ridiculae videantur cuidam; laudabilis tamen iste, quem in explicandis illis, quae rationis captum excedunt, phaenomenis & modis determinandis adhibuere, labor atque conatus non omnino contemnendus est.

#### §. XXIV.

3) Corpora  
immediate ob-  
sidendo.

Non modo mediante rerum quarundam nocivarum infectione atque injectione, sed & immediate Diabolus corpora, ex speciali divino iudicio & permissione, invadere, acerbissimisque doloribus ac commotionibus affligere valet. Qua autem ratione sese immittat corporibus, LACTANTIUS *lib. 2. c. 14. de rer. orig.* habet: *cum sint spiritus tenues & incomprehensibiles, insinuant se nonnunquam corporibus hominum, & occulte in visceribus operi valetudinem vitiant, morbos cient, somniis animos terrent, mentes furoribus quatunt; ut homines his malis cogantur*  
ad



ad eorum auxilia recurrere. Acumen quoque suum de clanculario hoc ingressu exercet more suo, id est plane philosophico, *Andreas CAESALPINUS in Daem. investig.* Vult nimirum, cum illabitur Daemon, spiritum aliquem aut extrinsecus cum eo intromissum, aut in ipsomet corpore genitum, pro nutu daemonis movere organa obsessi, ac latitare plerumque circa articulos vel intra cutem; cumque motus miros & horrendo ciere intendit, partes membranaceo-nerveas, aut nervos ipsos vellicare, stimulare, irritare, ac sic affectus plane mirandos & supernaturales excitare & exasperare. Sed qua ratione legio *Lucæ 3. 4. 30.* unum hominem possederit, novit is, qui omnia. Quem admodum suspicamus Daemonem, viventia, ut crucientur, intrantem corpora; ita ex-vel in-animatis abutitur corporibus, ut creduli superstitiosi (quales Ægyptii olim Papicolæ hodie dum) decipiantur delusionibus. Gloriantur licet pontificii de fictis in ecclesia sua miraculis, perperam Deo, aut sancto alicui adscriptis; Confusi tamen simul erubescant, quod daemonis artificiis & mendaciis decepti, stygiis praestigiis & captionibus subscribant. Ita nimirum illudit Daemon, ut, per quem Gentiles (qualis fuit Tutia virgo vestalis incesta, quae Romae cum precatione certa, aquam cribro hausisse anno Urbis 609. Plinio autore; fertur) mira, imo sic dicta patrarunt miracula; eodem etiam cooperante illi plures portentosos experiuntur effectus, quos pii & purae Evangelii doctrinae lucem sequentes averfantur, animitusque respuunt.

§. XXV.

Nec a recto & praefixo tramite me aberraturum credo, si paucis & incidenter heic ostendero, quomodo

E

Daemo-

*Superstitiosi ritus papillarum.*

Daemoni vires & potestas, quae exoriente Evangelii Sole dissipabantur & exulabant, rursus inter homines irrepere, sese irradicare & furorem suum exferere ceperunt. Tempore enim illo infelicissimo, quo GREGORIUS M. Hierarchiam condere coepit, qui formam aliquam & memoriam externorum rituum veterem, jam abusu superstioso depravatam, & consuetudine, quae inoleverat, confirmatam, cum retinere veller & cuperet ethnicis adhuc tenebris derentos ad christianae religionis studium allicere; magna ex parte, quod in prima ac puriore Ecclesia fuit, mutavit, tempori inserviens: Sic novam publicorum rituum formam, ex judaïcis & Ethnicis conflata ac constatam, hypocriticae ostentationis plus, quam pietatis non fictae, prae se ferentem condidit; dum sanctorum memoriae ethnica consecravit templa, ad quae panegyres & supplicationes ritu prorsus ethnico, construit, & persuasionem de oblatione in Missa confirmavit. Aetas sequens paulatim magis magisque discessit a norma & veritate verbi, atque adauxit errores, superstitiones, idololatricos cultus, abusus verbi & sacramenti. Auxit & superbiam Pontificum ac dominandi cupiditatem, quae non prius quievit, quam Imperatores e sede Imperii ac Urbe Roma excussi, omnique autoritate spoliati fuerint ab iis, qui per agmina Satellitii monastici plura alia regna vi ac potestate affectata & ficta vicerunt, & superstitionis fascino vincata retinuerunt sub officio & iugo, quod faventibus superis excussimus, feliciori nati fidere; quod ut superne exoriantur & lucefcant iis, quos tenebrae praedudiciorum, vel onus mancipatus subjugatos obnubilarunt, & in quorum unicum subsidium haec addere, amor veritatis dictavit, ex corde precor & voveo.

§. XXVI.

§. XXVI.

Quodsi autem Daemoni, Ethnicorum ritibus & cultu adhuc honorato, potestatem aliquam in plus vel minus imprudenter eum sequentes denegare consultum & rationabile haud esset. Quidni, cumulata caligine extincta ac sopita verae doctrinae luce, & evulsa prorsus ex animis Papistarum, in plusquam cimmerias tenebras demersorum, omni memoria veri & puri Dei verbi, restitutam fuisse Daemonis potestatem annuemus? Nonne auspicatorum aliquid Ethnici vel statuas salutarunt (*quas Papistae nomine Sanctorum salutant*)? Vel diabolicos consuluerunt vates (*quorum vices subierunt Monachi*)? Vel praesidia petiverunt ac successus ab idolo Maozim, (*quale etiam illi sibi consecrant*)? Hinc Daemon, credulitate hominum excitatus, ominosa perpetrandi & occasionem & libertatem habet optimam, quam olim eum habuisse inter Ethnicos novimus. Cur non per S. S. imagunculas eadem, quae per idola ethnica edidit, oracula & miracula pariter efficeret? Quotiescunque igitur occurrerint historiae S. S. statuis miraculosam attribuentes virtutem, vel absurda mendacia fabulasque aniles ac dolosa Monachorum artificia, vel lusus daemónicos illusionesque esse, sciamus. Aberrarem revera ab ingressa differendi via, si specialiter omnium historiolarum, de superstitione papistica suspectarum, falsitati demonstrandae insudare conarer.

Restituerunt  
Daemoni po-  
tentiam ope-  
randi & no-  
cendi.

§. XXVII.

Eas, quibus homines quidam aliorum sanitati ac vitae morbi vel mortificum inferre valent, vias breviori discursu trituras & prosequuturis primo loco sese offerunt ii, qui nec malitioso (uti venefici) omnibus nocendi affe-

Quo modo  
possint homi-  
nes probi  
atroces indu-  
cere morbos?

ctu, nec mediis naturalibus venenatis ac depravatis corporis humani integritatem violant ac corrumpunt; sed ex zelo vel gloriae Dei, vel iustitiae, *devovendo & impre-  
cando*, alios dirissimis, occulto licet modo, afficere possunt morbis. Hoc autem devovendi maleficium saepe non caruisse successu suo, tragicosque fortitum esse eventus, testari possunt CAESARIUS, NIDERIUS &c. Atque potestas illa devovendi Apostolorum olim & apostolicorum virorum peculiaris; uti videre est: *1. ad Tim. 1.* qua non nisi prudentissime & cum magna charitate atque iustitia (non uti in horribica, sed inermi simul *Caenae Domini Bula*, brutis tamen fulminibus emissa, hodie fit) utendum est. *Imprecationes* quoque parentum eandem, suis liberis morbos inferendi, vim quandoque habere non sterilem, plus experientia probari, quam ratione exhauriri potest. Nati quoque sunt muti non semel ex imprecatione materna, qua & monstrosos partus editos fuisse passim referunt observatores. At fatales imprecationum effectus conversos esse in devoventium capita, historiae referunt: hoc modo quendam, subditos suos identidem *Canes* appellando, elinguem factum, nec ullam articulatam vocem humanam ab eo auditam, sed latratum solummodo caninum, testis est nobiliss. *Phil. CAMERARIUS*. Modus tamen peculiaris, quo Deus, serio & iuste factis imprecationibus, subsequentes hos affectus vel causat, vel a daemone eos induci permittit; is plane incognitus divino iudicio iustaeque ultioni (utpote quae conditio sine qua non) relinquendus est.

Modus, quo  
improbi nocent  
sanitati.

§. XXVIII.  
Homines novitate & varietate captos, rerum naturalium

raliū notitiæ intimioris, seu infamis artis magicæ ac veneficæ (qua ad lædendos alios, seu intentatis illatisve nocuentis, seu iis, quibus fruuntur commodis, quæve exhiberentur, ereptis aut suppressis, res naturales per abusum adhiberentur) gnaros & doctos fuisse ac exitisse, ratione nequaquam dissentiente, experientia jam antiquissima & testimonia probatissima confirmant. Hinc extitere *Incantationes*, quæ novis præstigiis amplificatæ in immensum creverunt, & doctrinam utramque & sacram & physicam obscurarunt; dum creaturis & præcipue corporibus mixtis, nova vi falsa opinione imbutis ac veluti consecratis, Venefici præparant pharmaca noxia, mira ac diabolica virtute ac varietate ita, ut epota, aut quovis modo assumpta intra corpus, cieant periculosas aegritudines, amentiam, coecitatem, furiosos amores, apostemata & alia; vel contactu solo inficiant; vel, si condantur alicubi, ex intervallo transcensa aut præterita nocumenta corpori inferant; vel ex disjunctissimo etiam spacio, ceu nervo emissâ violenterque excussa, fereantur (forte communicato miasmate vel exhalatione tenuiore) in eos, quos petunt. Usitata hæc est ratio Veneficis, qui certis anni temporibus herbas ad certarum vocum pronunciationem, evellunt colliguntque, aut alia, suis accommodata artibus, conquirunt, ea opinione, quod ex istis verbis eam, qua illis opus est, virtutem contrahant. Sed neque superstitionis vel carminibus, vel characteribus, vel ceremoniis in eorum collectione & applicatione factis, eis nova ac maior accedit nocendi facultas: remanet autem agiturque naturalis eorum vis, sola physica corporum mixtione vel combinata vel separata, aliquando, nec tamen semper & necessario, efficax. Unde naturaliter

raliter & physice omnem detrimentosum effectum inde oriri, judico.

§. XXIX.

Signa generalia morborum illorum.

Medicum, aut adductis modis excitatos in corporibus morbos, praesertim cum abditri lateant, cognosciturum, aut de exitu conjecturaturum, aut iudicium formaturum de repentinis & peregrinis conversionibus (quae quandoque incautos, ignaros vel etiam temerarios; praeter opinionem oboriendo, turbant, distrahunt, confunduntque) oportet oculis atque animo esse attentum, ad signa 1) *generalia*, quibus morbi quidam, altioris indaginis supernarumque virium, indicantur. Quodsi morborum genius ita sese Medico solertiori, physicarum legum, & physiologicarum regularum notitia instructo, intricatum & confusum exhibeat, ut nec causae antecedentis ac remotae ratio in naturae sinu corporisque aegrotantis structura ac humoribus fundamentaliter latuerit; nec ullibi, vel ex parte aegri vel ministrantium, vel etiam Medici, contra diaetae & regiminis ordinem peccatum fuerit; neque ad qualitates manifestas aut ullum aliud vulgo notum morbi genus referri poterit: imo omnem humanam, quantumvis exquisitissimam in observando & curando solertiam eluserit; atque sic nec rationis scrutinio indagari, nec rationabiliter etiam adhibitis Medicinae subsidiis, tolli queat; si denique excreta talis sint indolis, ut profus in natura genererari ea non posse, sciamus: unicum profecto superest, ad vires, supra naturae energiam operantes, secure confugere. Et si non negem, naturam necdum factis a nobis perspectam ac exhaustam, multa adhuc sacro regere involucre adeo, ut plura in certis quibusdam sub-

jectis

jectis sese exserant symptomata, quae Medico nec dum vel in praxi vel in libris occurrerunt; peccaretque is statim ad supernaturalia recurrendo, aequae ac alter protervi & temerarii foret cerebri, qui naturae rerum ejusque libris metasponere, aut potentiae obedienciali (intra naturae tamen cancellos adhuc constitutae, nec vim naturalem causae principalis excedenti) quidquam temere detrudere veller. Prudentis ergo Medici est, omnia exacte perferre, judiciumque, de morbo ferendum, tamdiu suspendere, usque dum, observatis etiam specialibus signis (nec enim uni aut alteri signo seorsum sumto, sed pluribus concurrentibus fidendum est) morbum vel a Deo vel a Daemone vel incantationibus, vel a natura immissum esse credat & dicat.

§. XXX.

2) Signa specialia pathognomonica a) a Deo illatis Morborum  
 propria sunt: Vitae ab afflicto & aegro arteactae necessa-  
 ria in memoriam revocatio, qua christianus & sanus alias  
 Medicus ab intricato, fontico & occulto morbi genio ad  
 divinam ultionem, divinitusque inflictum argumentabitur  
 & concludet morbum; Ceu aperte patet in Oziae profa-  
 natione Sanctuarii; in murmuratione Miriam, in Sauliser-  
 ga Davidem invidiam &c. Hae nimirum plagae sunt Do-  
 mini, arcano quidem, sed iusto semper iudicio plestentis  
 nunc probos, idque rarius, nec nisi ob majus eorum bo-  
 num; nunc improbos: illi ut probentur, hi vero ut casti-  
 gentur & puniantur. *Isique, a Deo scil. morbi proprie di-  
 cendi sunt miraculose inflicti.* b) A Daemone & Veneficio  
 illati, finem geniumque eundem pessimum prae se feren-  
 tes, morbi his noscuntur signis: Prodit nempe sese dae-  
 monis

Morborum  
 ditorum si-  
 gna patho-  
 gnomonica.

monis praestigium vel ex mentalibus, vel ex corporalibus actionibus depravatis; quum autem iis turbandis Dæmon miris modis rerum natura abutitur, signa hinc indagatu sunt difficillima, nisi attente observemus, an morbus ille nec a Deo immissus, nec a natura (quando scilicet affectus non oritur a motu locali & superat causarum naturalium applicatarum activitatem) excitari potuerit? Deinde cum vel motus adeo sunt anomali & intricati, ut stupendi inde sequantur lusus & effectus, vel cum e corpore portento-  
 fac quaedam rejiciuntur ac excernuntur materiae concre-  
 mentosae, ut iis in corpore generandis impar sit natura; vel cum morbus ille, saepe visa phantasmata ac diaboli glaucomata, sive contractum personae de veneficio sus-  
 pectae, sive familiaritatem ac consuetudinem cum quo aut qua-  
 dam amoris oestro & aestu agitata, sive imprecationes praecedentes, sequutus fuerit; vel cum in ipso praeter-  
 naturali statu maleficii instrumenta patuerint; rudes-  
 que de arduis, occultis, oblitis, futuris, arcanis &c. fuerint locuti; sique morbus exasperetur indies, nec cedat reme-  
 diis naturalibus, quantumvis secundum rectam rationem & longam experientiam adhibitis. His ergo judiciose pensitatis, & cum pathognomonicis morborum, naturali-  
 ter evenientium, signis collatis, patebit latitans sub obscu-  
 ra maleficii larva genius, ut (inquit Petr. MONAVIUS) *ubi de morbi qualitate & conditione constiterit, de remediis deinceps poterit tanto melius miri ratio; naturalibus enim morbis naturalia debentur remedia, praeternaturalibus praeternaturalia, divinis divina.*

§. XXXI.

Enimvero notum est, quod quo magis causae super-  
 natura-

Qualis sit for-  
 manda in his



naturalibus viribus operantis, natura aut certe illius agendi modus, seu media, quæ morbus infligitur, nos ut plurimum lateant, eo certiorē hanc inde formare valeamus Prognosis: morbi ita infligti curationem sperandam, vel faciliorem vel difficiliorem, vel prorsus impossibilem ac mediis naturalibus omnino non obringibilem esse, ita quidem, ut, qui his liberatus ac curatus fuerit, divinis viribus & *Medicinæ vere miraculosæ* id adscribar, necesse sit. Possibilitatem & actualitatem methodi miraculosæ medendi priusquam proponere & exponere adnitar, præmonere oportet: *morbos*, quos vel naturales vel supernaturales esse distinximus, *incurabiles esse* statum corporis præternaturalem, quo partes solidæ ita violantur suisque actionibus naturalibus destituuntur, ut, ad præstandum & expectandum naturæ officium, naturalibus medicamentis nequaquam restitui possint. Continua autem experientia nos docuit, dari morbos etiam naturales, naturaliter prorsus incurabiles. Ergo & *hos curare, Miraculum* non naturæ, sed *Dei*, in natura miraculosè operari potentis, est.

Neque tamen nego, plures dari morbos desperatos, optimis etiam medicamentis incurabiles, quos occulta potens tamen Naturæ Energia vitalis, citra Medicorum opinionem & opem curavit, & pristinam, de qua jam desperatum est, *sepe miraculosè* restituit sanitatem: hæc tamen Energia naturæ tantumdem non valuit, ut omnes intricatos & incurabiles curaret morbos, quos virtute Omnipotentis, miraculosè medentis, curari posse & curatos esse, sequentia declarabunt argumenta.

§. XXXII.

Ex eo, quod ab initio temporum causæ secundæ Miracula esse  
possibilia  
ostenditur  
tenorem servant suam seriemque, in quantum causæ primæ : ) remove.

F



mae operumque Gubernatoris Voluntas & sapientia in-  
 circumscripta & liberrima determinavit: hac autem de-  
 terminatione, in instanti creationis posita (inquit ARISTO-  
 TELES & plurimi modernorum, ut Miraculorum possibi-  
 litatem negent & infirment) simplici atque absoluta ne-  
 cessitate causas secundas easdem semper esse, easdemque  
 actiones semper edere; ac primam causam, in solubili  
 vinculo secundis ita connexam esse & copulatam, ut aliud  
 nequeat instituire opus ullum, quam tota series, conjun-  
 ctis actionibus, intendit & urget; aut aliam usurpare vim,  
 quam qualem eadem causae flagitant. Quam specioso  
 veritatis apparentis vultu sese conspiciendum praebat  
 hoc Adversariorum argumentum, tam nudum & inanè  
 comparebit, detecta apparentiae larva. Philosophemur  
 igitur his rationibus & ratiociniis: Causarum secunda-  
 rum *aliae* propriae physicae sunt, *naturalesque* dicuntur,  
 quae sine deliberatione sive delectu & libera facultate,  
 prorsus naturae suae sequuntur ductum & impetum. A-  
 liae cum consilio & proposito, etsi physice, tamen ita li-  
 bere agunt, ut contrarium actum aequè elicere & eligere  
 possint, ac hunc vel illum; & causae *voluntariae* vocan-  
 tur, qualis homo est. Quanquam autem singulis in sit  
 suus, qui propriae naturae proportionatus est, agendi mo-  
 dus; nihilominus neque a physicis causis edi solitae & jam  
 extractae, atque in accommodatam & adhibitam materiam  
 directae actiones (quae motus, consilii & propositi exper-  
 tes sunt, & mere physicae) naturarum, idem eodem modo  
 semper efficiunt; neque ea, quae ab electione libera ho-  
 minum dependent, prout instituta, inchoata, deliberata,  
 distributaque sunt ita necessariò procedunt, ut absolute in  
 eum,

Causae se-  
 cundae non  
 absolute suos  
 edunt effectus.

eum, in quem directa & conclusa sunt, exeant finem. Ergo concludamus quoque: effectus, ex causis secundis promanantes, non necessario & absolute inde fluere debere.

§. XXXIII.

Liberrime prima causa aut vim secundis suppeditat, aut, cum vult, subtrahit & agentium effectiones dirigit vel restringit, vel promovet, vel elidit, vel impedit, vel maturat, vel retardat, vel exaltat, vel destruit secundum voluntatis & arbitrii sui vim efficacissimam & nullis causarum secundarum limitibus ac nexu circumscriptam; idque vel per ordinatam causarum seriem; aut per dispensationem, praeter ordinem & contra cursum causarum fec. moliendo; aut permissione indulgendo ac permitrendo aliquid. Deus adeoque singularum causarum, (etsi suis propriis agent viribus) & quidem *physicarum* actiones incitat, acuit, intendit, aut prorsus inhibet, ac, ne sese exferant, veluti compescit, imo & mutat: atque *voluntariam*, etsi non semper, actiones vel eventus, ad quos actiones diriguntur, vel impedit, vel immutat, vel aliter disponit, quod homo proponit. Rursus cum vult, aut cum res requirit, neglecto ordine & connexu, causarum particularium vires vel sistit, cohibet ac velut infroenat, ne erumpant, vel roborat, ut plus, quam naturaliter ipsis inest, praestare valeant. Atque hinc manifestum est, causas secund. ad aliquid, ad quod a natura institutae non sunt, a naturae Directore Deo excitari posse; nam

*Non Deus est nomen Parvarum carcere clausum,  
Quale putabatur Stoicus esse Deus.*

Neque arcto Nexus Universi carcere adeo inclusa est divina

a) Positive demonstrando,  
a) Deum libere agere, & nulli nexui adstringi.

vina potentia, ut aliquando effectum supra vel contra exiguas causas sec. vires producere nequeat. Quis enim autemet, Deum, formando Mundum in ordine, sese adstrinxisse ad hunc ordinem? Neque ideo Deum, quando contra ordinem ac vires naturae aliquid efficit, inordinate & imperfecte operari, arguamus. Is, quippe & ordo & regula & perfectio rerum, quidquid edit, in ordine & ad bonum dirigit finem. Quamvis insuper Deus omnia in ipsa creatione bona esse viderit; non tamen optima, ita ut aliquid vel propter se meliorari, vel propter perfectionem sive physicam, sive moralem, alterius subjecti deteriorari, immutari, ac plane destrui non possit. Adeoque ad nutum suum (licet rarissime annuat) naturales agendi vires vel augere, vel actui, iis omnino (quantum credimus) contrario adaptare posse, sequitur.

§. XXXIV.

b) Causas  
sec. esse  
contingentes &  
posse mutari.

Ex ipsa praeterea rerum natura elucescit dabile esse tales, naturae viribus superiores & aliquando contrariae, effectiones, quas miraculosas dein nuncupare licebit. Etenim ii, quibus Miraculorum possibilitas & actualitas nauseabundas ferit nares, ad rerum Universi nexum, firmissimum revera asylum, confugiunt. Sed, dato etiam illo, quem cum omnibus Philosophis admitto & statuo, nexu; hunc tamen adeo sanctum inviolabilemque, ut entium singularium existentia, quin ordo, in essentiis rerum potius haerens, evertatur, mutari nequeat, adstruere & confirmare, materia Dissertationis nequaquam permittit. Quidquid enim contingens est, ita existit, ut ante existentiam suam indifferens fuerit ad existendum, vel non. Posito dein quod iam existat, indifferens erit illius existentia,  
ut

ut vel citius vel tardius esse ac durare desinat. Cum itaque omnium causar. sec. tam naturalium, quam voluntariarum effectus sint contingentes, etsi dissimiliter & alio modo; contingentiae vero in tota rerum natura causa sit libera voluntas Dei, gubernantis hunc a se fabricatum mundum, & ordinem, in eo distinctum, dirigentis: perspicuum est, quod causa prima, motuum atque effectuum omnium Domina, causar. sec. agendi vim, regulas & naturam multis modis mutare possit.

Ut haec omnia, in apicem producta, clara fiant, constetque, ubi tandem in negotio non adeo levi pes sit figendus, operae pretium est, quantum per vires exiguas licet, *Medicinam vere miraculosam* indagare & indigitare.

§. XXXV.

*Miracula* sunt actus, quo causa prima immediate in natura quosdam effectus, a naturalibus viribus improducibiles, adeoque extraordinarios & supernaturales producit. Dixi *actus esse*; siquidem voluntate Dei serio volentis fit, quod is efficaciter approbat, & quidem actu immediate in naturam operante; nam omnes, quae extra Deum sunt, causae mediantibus aliis tantum operantur: Sed Deum mediis ad operandum, alias necessariis, non egere, ex illius Omnipotentiae infinitae conceptu, notum est. Porro effectus taliter, scil. miraculose, ex inexhausto fonte divino emanans, non solum pro fine ultimo perfectionem, sed & praegnantem & praegravem, cur promiscue non edatur, habet rationem: hac simul lege, ut, in obtinendo Miraculi effectum nec per ambages eat, nec ordinaria, ad eundem attingendum, detur via; sed & respiciat totum Universi nexum, atque tunc tantum Miracula edat, ubi

Quid sint vera miracula.

maius bonum minori praeferendum, optimumque suadet. Ex eo autem, quod in instanti plerumque fiant Miracula, non sequitur, ea ipsa etiam semper in instanti fieri debere; Instantanea enim productio effectus cujusdam miraculosi denotat Deum, efficaciter volendo, simul citius operari: dum vero, tardius & successive effectum intentum produci, voluerit, nihilominus subsister ratio Miraculi, quod non consistit in tempore, quo editur, sed in modo, subjecto a quo, & quod fit.

§. XXXVI.

Qualis sit medicina vere miraculosa?

Quodsi igitur *Miracula* sunt productio effectus in natura, quae eo obtinendo & attingendo impar prorsus & impotens est; *Medicina* quoque *vere miraculosa* erit, quando Deus simili actu hominem vel ex morbo, quem nec natura nec ars tollere valet, vel a mortis tenebris, ubi naturae vires jam exspirarunt, ad vitam revocat. Sive enim morbi a Deo inflictum fuerint, eos eodem miraculoso, quo inflixit, modo levat; sive a Daemone, sive a naturalibus causis immixti sint, Daemonis, & naturae dominum & restauratorem, hac Medicina miraculosa, sese ostendet. Ex adductis his Medicinae miraculosae characteribus manifeste liquet, & morbos, quos a Deo immediate provenire probavimus, & morborum, quorumcunque vel physice vel hyperphysice inflictorum, curationem a Deo quoque, licet rarissime, fieri solitam, proprie constituere *Medicinam vere miraculosam*. Haec triplici contingit modo: 1) quando vel morbos omnino viribus naturae irreparabiles incurabilesve, 2) vel naturalibus quidem remediis adhuc sanabiles, absque tamen iis adminiculis, in instanti, (solis verbis manuumve impositione, ceu CHRISTUS fecit) restitue-

stinere & curare solet, 3) vel cum naturalibus quibusdam mediis virtus quaedam, supernaturaliter efficax, tribuitur. Hinc Deus ipse *Exod. 23. se Medicum, miraculose curantem, testatur inquit: removebo infirmitatem de medio tui.*

§. XXXVII.

Hoc singulare, inusitatum & extraordinarium divinorum operum genus raris, novis, singularibus & ab ordinis noti regula variantibus sit actibus atque exemplis: Cumque dixi, ea aut *immediate* aut *mediate* fieri; de mediis etiam & de quadam illorum proprietate admonere aliquid, aequum est. Etsi Deus utitur quandoque externis quibusdam mediis, qualia sunt vel homines exquisitissima sanctitate conspicui, vel aliae res naturales: res tamen, quae cernitur proferre ac producere miracula in se aut in alio, nunquam est unum idemque cum Essentia vel Omnipotentia Dei; neque vis effectrix est rei, quae videtur agere, sed est ac manet illa, quod fuit; & agit ex se, quod suum & proprium est. Omnipotens autem efficacia Dei per illam, cum illa, in illa, & ad illam efficax, arbitrio suo liberrimo, ista, quod suum est, agente visibiliter, opus, quanquam visibile, invisibiliter perficit. Non facit Moses miracula aliqua vi sua & ascita, aut baculi sui; nec cadaver Helisei vitam reddit apposito cadaveri. Sic Petro, in nomine Jesu sanante claudum, alia Petri actio est, alia CHRISTI perficientis, alia hominis verba, alia Dei effectio & perfectio. Hinc praestat id, quae ad actionem Moysi & contactum cadaveris accedit, potestas Dei, qui utitur aliquando creaturis, praeter ordinariam rationem & suo arbitrio, ut, sicut dictum est, testetur, se agens esse non omnipotens modo, sed & liberrimum; nec alligatum ullo vinculo

Quod Deus utatur mediis, & quomodo haec agant in miraculis producendis.

culo aut nexu ad seriem aut vires caussar. fec., nec ad ordinem, quo caussas inter se digessit & devinxit, nec Omnipotentiam suam impertiri creaturis.

Ex eo, quod Miracula immediate a Deo edi solere, §. praec. definierim, hic autem media, quibus ea perfici possunt, admittam, contradictionem involvere videre; nisi certum sit, quod actus, qui per rem quandam naturalem, cui vires eum eliciendi nullae insunt, fieri solet, aeque sit, ex parte scil. naturae, miraculosus, ac ille, qui absque mediis a Deo absolvitur.

§. XXXVIII.

Miracula alia  
sunt positiva  
alia privativa.

Ut Medicinae vere miraculosae idea ex clariori enascatur specie, notanter distinguenda sunt Miracula 1) *in positiva*, quibus efficitur novum quiddam seu permanens ac durabile, seu cessans atque evanescens, re ad priorem naturam revertente, actu Miraculi contrario; uti contingit in conversionibus miraculosis, queis etsi mutatur unum in alterum, & alterum actu perit, non redigitur tamen in nihilum: sed potentia manet in altero semper Dei respectu, quamvis non semper de potentia in actum priorem redigatur. Denique nunquam in miraculosis conversionibus fit annihilatio & omnimoda rei destructio; sed ex uno positivo fit aliud. Tales sunt conversiones aquae in vinum, baculi Mosis in colubrum, aquarum Aegyptiarum in sanguinem, ac reditus utriusque ad priorem formam. 2) *In privativa*, quibus cursus naturae inhibetur ac velut interrumpitur, aut prohibetur se vis congenita exprobre, aut in parte aliqua naturae vel creaturarum rerum specie fit destructio miraculosa. Ut cum ferrum aquis supernatat, & pondere corporum suspenso, CHRISTUS & Petrus calcant aquas; ignis non urit nec comburit pueros in camino



mino babylonico; CHRISTUS & Helias non consumuntur jejunio quadraginta dierum. Hoc actu privativo Oeconomia motuum vitalium aliquando, Deo volente & efficiente, turbatur, & homo morbis plectitur. Sic quidem ordo naturalis interrumpitur, & repressus cohibetur actu aliquo raro novo & singulari, cedente interim creatura Omnipotentiae Creatoris, a quo interea tuetur & sustentatur ordo, ne quid detrimenti capiat ac evertatur.

§. XXXIX.

*Mutationes privativa*, vel sit contra vel praeternaturam, *in aliud positivum*, quod est secundum naturam, *proprie Medicinae vere miraculosae actus sunt*. His enim vires naturae quomodocunque deperditae, depravatae ac prorsus abolitae restituuntur a Deo, qui Medicinae miraculosae & fide dignissimum in S. Scriptura reliquit testimonium, & Practicum constituit potentissimum salutis nostrae Restauratorem CHRISTUM, qui Therapiam miraculosam tanta exercuit potestate, ut exempla, probandi mei Thematibus, firmiora in natura non occurrant, quam quae ab ipso perpetrata sunt. Ast quis tam durae cervicis & blasphemae linguae, cum PARACELSO & CORN. AGRIPPA finget & adferet, ipsum vi magiae naturalis ac licitae, vel vi temperamenti justicialis, ex humorum & qualitatum activarum, ad pondus aequali mixtione resultantis, tot miraculosis curationibus fuisse conspicuum? Quisque tam crasse materialis, philosophando, ingenii, Miracula Christi ad naturalia reducere audeat? Fateor equidem ingenue, solo personarum, auctoritate & dignitate illustrium, tactu, median-  
te tamen aegrotantium imaginatione, plures jam sanatos restitutosque fuisse, quod de Regibus Galliae & Angliae  
G  
comper-

Curatioes  
miraculosae  
sunt miracula  
privativa.

Christus est  
potentissimus  
Medicinae  
miraculosae  
practicus.

compertum habemus \*. Sed idem de CHRISTO adseri posse, nec fides suadet, nec ratio consulit, nec ulla naturalis scientia evincit; nisi fidem historicam S.S. (quam Theologis confirmandam, ne falcem in alienam messem mitam, relinquo) quisquam negare praesumat.

\* Vid. *Histoire de la medecine par J. FREIND D. en M. part. 3. p. 91. conf. D.D. HECKII Diss. de Medicina pseudo-miraculosa.*

§. XL.

Exempla curationum vere miraculorum a Christo factarum.

Evolvamus paululum, ut CHRISTI Therapiam miraculosam agnoscamus, repertas in N. T. sanationes. Numquid mortua *Matth. 9.* per imaginationem ad vitam revocata fuit? Quis Medicorum adseret, Hydropicum folius imaginationis vi, vel virtute contactus physici curari; & mulierem, quae spiritum infirmitatis 18. annis passa est, sola physica manuum impositione *Luc. 13.* convaluisset naturaliter? Ridiculum sane foret, defendere, coecum a natiuitate *Job. 3.* visum recuperasse mediante imaginatione, quae sane hic inermis est, vel vi sputi & efficacia luti. Conf. DN. D. PRAESIDIS *Disp. de Therapia morali; de Phantasiae usu, lusu & abusu in medicina; de Therapia imaginaria;* praec. *disp. de Medicina Christi divina & miraculosa:* ut de imaginationis infirmitate, instabilitate & sterilitate ac inram enormibus affectibus levandis impotentia, convincamur, concedamusque, nec imaginatione nec loculi tactu, quo Christus unigenitum Viduae Nainiticae mortuum vivis reddidit, physico, sed hyperphysico actu rem processisse. Quod nam de foeminae, per 12. annos haemorrhagiam uteri perpeffae, & a multis Medicis multa passae, ira ut omnia sua impenderit, quod inquam, de ejus instantanea curatione, solo Christi simbriae tactu, feremus iudicium? An imaginationi mulieris, an effluvis naturalibus, sive potius

tius facultati omnipotenti CHRISTI aliquid virtutis tribue-  
mus? Nudo praeterea verbo & imperio maiestatico *Marc.*  
1. dum voluit, Lepra abiit a Leproso. Quid effluvia, quid  
imaginatio naturaliter in distans agere valent? nihil. In-  
terim tamen Christus absentes curare potuit. *Marc. 5. Luc.*  
7. *Matth. 8.* Et, ne magis praeconem Theologum, quam  
Medicum agere videar, silentio involvantur reliquae cura-  
riones CHRISTI miraculosae, quam plenis buccis decantant  
caeci, surdi & muti suae sanitati restituti. Vivumque ve-  
ritatis assertae testimonium reddunt mortui, a CHRISTO  
ad vitam revocati. Ergo Medicum supernaturaliter cu-  
rantem & Medicinam vere miraculosam dari, quis non  
consentit? Sed, num & alii praeter Deum, miraculose cu-  
randi potestate gaudeant, inquiramus.

§. XLI.

Sacras Paginas percurrando, non tantum miraculo-  
sos Dei immediate operantis actus, sed & vere miraculo-  
sam Medicinam exercendi, facultatem, quibusdam homi-  
nibus concessam & dispensatam, obviam habuimus ac in-  
venimus. Neque a vera ratione abludivit; dum scimus  
Deum aliquando, in directione operum suorum libera, et-  
iam mediis uti, si bene visum illi fuerit. Hinc vivificatur  
cadaver solo ossium Heliae contactu, & Propheta Eliseus  
leprosum mundificat ac sanat. Hinc umbra Petri fuit Me-  
dicina aegrotorum *Act. 5. & 19.* Pauli sudaria & semicinctia  
morbos recedere & spiritus malos exire faciunt; & ipse  
per divinam Christi omnipotentiam, patrem Publii a febre  
& dysenteria aegrotantem, oratione & manuum imposi-  
tione curat. Adeoque singulari dispensatione CHRISTUS  
dedit Discipulis suis potentiam, potum venenosum, ne no-

Exercitium  
Medicinae ve-  
re miraculo-  
sae fuit olim  
concessum ho-  
minibus.

ceat, corrigendi, super infirmos manus imponendi, ut bene se habeant, *Marc. 16.* Sed donum hoc, utpote tantum personale, & divinitus tantum concessum, progressu temporis paullatim illis subtrahi cepit; quo magis nimirum lumen Evangelii orbem illustravit. Plane quemadmodum Dona linguarum & prophetiae, non amplius urgente necessitate, cessarunt, & exspirarunt privilegia ista personalia cum personis ipsis.

§. XLII.

Nequaquam ignoramus, quot & quanta in Papatu allegentur miracula, ad forum etiam medicum pertinentia, quae a Sanctis, dum adhuc viverent, peracta fuisse creduntur, & finguntur ab effrontibus falsi fabricis, quibus facile est & mendacia cutere, colligere & dispergere in vulgum. Videbis cum averfatione *DISCIPULI Promptuarii-um Exemplorum. s. FRANCISCI Weingarten. JACOBI de VORAGINE Episcop. Januensi. Hist. Lombard. PETRI RIBADENEIRAE Vitae Sanctorum*, de quibus vitis idem, quod Galli de effronter mendaci ferunt judicium, tritum in proverbium jam jam receptum: *il ment, comme la vie des saints.* Mendacia quippe sunt dolosa & fabulosa, in Sanctorum vitis fragmenta & commenta: Si quae tamen ab hominibus ac Sanctis (uti aiunt) adita leguntur & efferuntur, deceptiones & illusiones Daemonis esse non tantum prudenter sentimus, sed & sapienter scimus constanterque asserimus. Qui enim inter Ethnicos similia praestitit Daemon, is inter Ethnicorum rituum imitatores (vide *PEUCERI Comment. de praecip. divination. generibus*) eadem aut non absimilia proferre iisdem valebit viribus. Si *VESPASIANUS Ap. Tacit. 4. histor. 81.* solo tactu visum coeco, simulque contracto

Sed illud non  
amplius viget  
& perperam a  
Papistis ita  
tautur,

si id contin-  
git, a daemo-  
ne fieri, statui-  
mus.

tracto membra restituit integra; si quoque Adrianus coecis aperuit oculos; si AUGUSTINUS *L. 10. de Civ. Dei* multas memorat Medicinas miraculosas (pseulo-miraculosas inquam) ab Ethnicorum sacerdotibus exercitas; Si Apollonius Thyaneus mortuum ad vitam revocando, daemones ejciendo &c. inter gentes tot inclaruit pseulo-miraculis, ut CHRISTO similis videretur: Cur non cultui supersticioso Ethnicorum deditis eandem tribuet, pseulo-miraculose medendi, virtutem?

§. XLIII.

Neque tamen, dum Daemoni potestatem, morbos pseulo-miraculose tantum & physice curandi, adscribo, impingere me quispiam putet: Saepe enim morbos ille infligit, &, sive aliunde sive a se ipso, illatis medetur aut citra pharmacorum opem, aut remedia commoda suppeditando. Quamquam vero destructam naturam nunquam instaurare, exanimatumque cadaver revivificare valeat; labes tamen insignes & affectus, praesertim si eorum autor fuerit, summovere potest; quoniam exactius herbarum discrimina, vires & in medendo usum, applicandi novit modum; certius abditas penitusque abstrusas aegritudinum causas introspicit, quam Medicorum ullus. Hinc saepius restitutione sanitatis stabilis insanum Idolorum & sui cultum, quo non paucos ad sola vota & rempla sanctis facta, aut ex contactu inruitruve ossium ac reliquiarum, de Sanctorum vel etiam aliorum forte suo tempore nequissimorum hominum inventis cadaveribus collectarum & reservatarum, amissam virium & sanitatis integritatem recuperasse, non ex Ethnicorum monumentis, sed majorum historiis recentique patrum nostrorum

Ufus & abusus medicinae daemonis.



memoria reperiemus. Ea inde inoleverat consuetudo, ut, si quid adversi accideret, non divina desiderarentur auxilia, sed vocarentur in subsidium Sancti, quos talibus praefidere & mederi malis, persuasum est. Unde a gravidis & puerperis Anna, a febricitantibus Anastasius, ab epilepticis Valentinus, a dentium dolore cruciatis Apollonia &c. ita ut nulla sit affectuum species, quae non suum vel suam habeat praesidem & miraculose sanantem. B. Mariam autem, sicut meritis nobilissimam, ita & potestate eminentissimam, utpote quae omnibus curandis morbis praepositur, non erubescunt depraedicare, fingere & pingere tot miraculosas imagines & statuas, in quarum honorem non solum locupletantur templorum aeraria, sed & parietes innumeris tabulis, sic dictis votivis (jam Hippocrati notissimis & ab Ethnicorum superstitione derivatis (vid. b. SCHULZII *histor. Medicinae*) ornantur, & onerantur altaria, appensis, vel ex cera vel ex metallis artificiose factis, membris, quibus aegri laborabant. E. g. qui vexabantur dolore capitis, cranium; qui cardialgia, cor aureum vel argenteum; qui brachio vel pede, huic vel illi aequale; quae vero sexus sequioris cruciantur affectibus uteri, uterum in forma bufonis; & quae impraegnari ambiunt, infantulum Sanctis, quos ad id peculiare habent & colunt, devote offerentes Missas interim, idque non raro, caro solvunt pretio. Et cum forte inter centum unus (post longam temporis moram natura vel arte medica interim aliquid opitulantis & aegrum curantis) voti compotes sunt, in tabula sua morbum, qui affligebat, describere, & magnis litteris, EX VOTO, inscribere populo, clero & daemone interea adplaudentibus,

moris

moris est. Sic nempe negligitur Deus, excluditur verus Salvator, contemnitur Medicorum opera, dum vis medicatrix, divinitus remediis in natura ordinatis indita, votis & Sanctis tribuitur.

§. XLIV.

Eo usque devenerunt praestigiae diaboli, ut non tantum is ipse technas & captiones, quibus male fani & creduli intricarentur, struat, sed & ministros suos in delusionibus & glaucomatibus fabricandis, & quidem jam HIPPOCRATIS tempore; (sicut etiam in Aegypto ex Hermetis doctrina superstitiosa contigit) habuerit, perfidos scilicet homines, qui piamentis, carminibus aliisque signis numina divina, ad tollendos, in quibus divini suspicio erat, morbos, sollicitabant; vel penes autores maleficiorum sanitatem procurent, & anilibus ac futilibus ceremoniis adhibitis, opera daemonum utentes pristinum restituunt valetudinis statum. *Persuadent* (inquit PLATO l. 2. de republ.) *civibus penes se esse potestatem a Diis profectam, qua sacrificiis & carminibus quibusdam, quae injuste ab iis aut majoribus suis perpetrata sunt, expiare cum voluptate ac diebus festis; & inimico, si ulcisci velint, minimo sumtu nocere queant: quippe illecebris & vinculis quibusdam Diis se persuadere posse, ut eos habeant obsequentes; persuadentque simul, carminum incantamentis, vel execrando, deprecando vel inprecando vel adjuvando utantur, quoscunque, intricatissimos quamvis, morbos se tollere valere.* Cui classi merito adnumerabimus eos, qui suis, quas ex Dei verbo & nomine invocato, abominando ac derestando abusu usurpant, consecrationibus tantam vim inesse fingunt, ut vel ipsa pronuntiatione, quod volent, efficiant; vel sacerdoti simul

rafo

Res quibus superstitiose adscribitur vis miraculosa, inefficaces sunt.

rafo & uncto, potestatem substantias solo verbo annihilandi & mira alia efficiendi; vel vim novam effectricem rebus quibusdam assumtis adscribant, quales res sunt characteres crucis, consecrationes aquae lustralis (ab ethnica superstitione sicut & ceterae ceremoniae & consecrandi ritus continua traditione assumtae & asservatae) literae, imagunculaeque pictae, sacculi *Agnus Dei* dicti, palmae, panis benedictus, metalla, amuleta (quae Franciscanorum monachorum monopolium sunt) rosaria, Dominicanorum; cingula castitatis, Augustinianorum, Trium Regum vel Agathae Schedulae &c. quae, ad tentationes & ludibria Diabolica avertenda, ad lemures ac spectra arcenda, ad contagia & infectiones tollendas, ad liberandas ex purgatorio animas majore, quam Ethnici, improbitate & profanatione, ac creatarum rerum divinorumque operum abusu, adhibent & decantant. Sed quam acquirent haec omnia ex consecrationibus suis facultatem? An cogent agere, quod ad actionem a Deo conditum non est nec ulla re aptum?

§. XLV.

Curaciones,  
nisi per artem  
aut naturam  
obtineantur, a  
nullo praeter  
Deum expectentur.

Enimvero Deus, etsi universali sua providentia malis etiam spiritibus ad plurimos insolitos effectus producendos, non tam utatur, quam permixtione libertatem concedat: nunquam tamen iis usus est, aut uterur ad *opera vere miraculosa*, quae sibi reservavit & bonis angelis dispensavit; diabolis istorum supernaturalium donorum minus capacibus: interim tamen omnibus temporibus usque ab initio opera Dei aemulati sunt & quibusdam praestigiis, quandoque etiam vera Miracula mentientibus suos furores in eos, quos superstitione & credulitate captos irrerere,



riere, confirmarunt & evomuerunt; dum turbas hominum ad se confugientium & auxilia ac medelam, vel directe vel indirecte, sub nomine scil. & abusu Sanctorum, sacerorum verborum, rerumque naturalium, experientium, occoecant & glaucomatosis ac pseudo-miraculosis curationibus seducunt. Blasphemum quidem PARACELSI os nihil referre, ait, an Deus, angeli an diaboli opem aegro ferant, dummodo quis sanetur. Sed quam impium hoc fit, nemo est, qui non videat. CHRYSOSTOMI magis eligenda est ista sententia: *mors potius homini christiano ob-eunda, quam vita ligaturis & aliis daemoniis ac suspectis mediis redimenda.* Horresco cogitans cum immania illa superstitionum portenta, tum deterrima, partim miseris ad opem daemonis aliosque praerer Deum auxilia-atores confugientibus, partim ipsi salutaris nostrae arti, illata damna, quae suceessive irrepere & in tantum crevere, ut innumeri sint, quibus vulgus detinetur, errores, quos recensere, supervacaneum foret. *Nos autem in tanta Evangelii, Scientiarumque omnium luce meliora edocti omnia illa, quibus vel Dei gloria avertitur, legitimus naturae usus pervertitur, vel seductus animus ad superstitiosas daemonicasque curationes convertitur, expiemus, execremur & cane pejus ac angue fugiamus.*

§. XLVI.

Ne autem materiae pertractatae & adeo protractae amplissimus, quem heic percurrere oportuit, campus plane sterilis & Medicinae prorsus inutilis videatur, proficuos & optimos, quos inde colligere datur, fructus adnectere, consultum duco. 1) Morbi omnes manifesti sunt sensu, 1) Morbus  
 H  
 etfi physicus, phy-

Regulae inde colligendae,

sicis curetur  
remedijs,

etsi non omnes caussa, quae abdita quandoque est, & occultos suis tamen notis & signis cognoscibiles constituunt affectus, quibus sua comparavit Deus remedia, in praesidium naturae, quorum usu Medicus, secundum artis praeccepta contentus & insistens iis tantum, quae physica sunt, sive manifesta sive occulta, experimentis tamen & ratione certa, ita ut, si quid physicum misceretur aut jungitur, huic ut medeatur ratione & methodo physica, ordinatis auxiliis det operam. 2) Discernat semper & separet physica a praestigijs daemonicis, cum in morbis ipsis tum in eorumdem sanatione & remediorum convenientium delectu. Daemoniacae, quae suis se praestigijs & ludibrijs tandem detegunt, etsi aliquandiu lateant, commendet iudici & spirituum Rectori Deo; interim tamen, quantum in illius arte est, morbum naturalibus, quae coelesti non destituuntur, dum confidenter petitur, benedictione debellare contendat. Etenim:

2) In morbis suspectis infestisque vi praestigiosa, adhibeantur remedia naturae. missis ad Deum precibus.

*Ni Deus adfuerit, viresque infuderit herbis;  
Quid, rogo, Diptamnus, quid Panacea juvet?*

§. XLVII.

3) In occultis morbis non statim super naturales arguendae sunt vires.

3) Neque tamen, si forsitan occultus, vel quoad causas, vel quoad intricatum symptomatum genium, occurrat morbus, statim eum divinum aut diabolicum esse concludere & ad hoc ignorantiae asyllum quendam confugere, vellem. Praeterquam quod rarissimum est, Deum evidenter ac immediate morbis divinis plectere homines, aut daemone, ut eosdem inferret, concedere: constanti quoque edocemur experientia naturales quoque dari morbos, qui sub anomaliae larva adeo abditi latent, ut etiam expertis-

peritissimos fatigent & multum negotii, indagando, facerent; adeoque eos statim ad ordinem & vim altiorem referre velle, nimis vel temerariae vel timidae mentis foret iudicium. 4) Si quis tamen ab altioribus viribus illatus sit morbus, signis diganosticis, superius traditis, dignoscendus erit: Non ad superstitiosa, anilia, aut diabolica artificia & ad incantationum magicarum, aut consecrationum inanum (quae nihil ab illis differunt) subsidia confugiat; fugiat potius sensatus Medicus verbi, nominis & invocationis Dei abusum, verba scripta, imagunculas, figuras, plantas antimagicas, aquas, metalla, olea, salia, peregrinationes votivas (profunt tamen medicae, id est aeris climatisque mutationes) Sanctorum invocationes &c. quarum fictae & dictae vires effectrices, ceremoniis superstitiosis inditae, prorsus nullae sunt.

4) Haec tamen, si dignoscuntur, non ad vana & profana recurrendum.

§. XLVIII.

Si denique infanda aliqua ac prorsus ignota plaga simpliciter & divinitus percutiatur homo, ad *vere Miraculosam Medicinam* id ipsum referri indicabunt signa data: *Soli tum Deo omnia sunt committenda, abs cujus nutu nec pilus a capite nostro decedit.* Temeritas tunc foret & insolentia ex parte Medici, velle ex natura rerum naturalium medicinam, quae Dei supra naturam operantis, vires infringere deberet, aliquam promittere & propinare. *Frustra multiplicas medicamenta, sanitas non erit tibi.* Jerem. 4, 1. In Deum itaque confisi, de peccatis, propter quae morborum poena inflata est, contriti & poenitentes, solo ejus verbo, si expedit, tales sanabuntur. Urui vero omnis salus a Deo est, quilibet tamen Christianus

Sed Dei auxilium affligendum, praesertim si morbus a Deo ipso inflatus sit.

nus religioni sibi ducat, ne tentet Dominum Deum suum, vel neglecta opitulatione medica, miraculosam ab eo expectando opem, dum naturali & divinitus etiam instituto ordine auxilium impetrare poterit: haecque fides, qua extraordinaria sperantur & expectantur, dum ordinaria adsunt, auxilia, sane minus sana ac sancta est, sicut & ista, qua afflicti naturalia remedia ad miraculosos extendit effectus, & naturalibus plus, quam compertum & exploratum est, tribuit.

§. XLIX.

Supervacaneae si non & vacuae videbuntur istae, quas impraesentiarum tradidi & tractavi, salutare regulae: quid enim, inquires utique, juvabunt Medicorum preces, nisi adhibeantur medicamentorum virtutes? morbo interim & morti succumbet aeger, priusquam Medici & aliorum vota (nimium forte infirma) nubes penetrarint. Ex adverso tamen regerere liceat: quid medicamenti efficiemus, dum Deus illorum atque etiam aegrotorum vires infringere voluerit? Quare totius seriei hujus hoc unicum compendium esto: neminem absque pietate virum eruditum, multo minus Medicum felicem ac excellentem futurum. Pietas autem Medici sit nec affectata nec superstitiosa, sed vera, sincera & recta; qua religionem, ab omni superstitione depuratam, liberam & in honestate morum maxime sitam, itemque scientiam suam medicam rationabiliter exerceat; atque colat auream, quam disertus XENOPHON proposuit, & ego pro optima clausula haec apposui, imitandam normam itam: ego, postquam didici, Deos hominibus citra intelligentiam,

gentiam earum rerum; quas nos agere, & quomodo agere oporteat, bene rem gerere minime concessisse, prudentibus vero ac diligentibus felicitatem tribuisse, illos ego colere ante omnia constitui, conorque, quantum mihi fas est supplicanti, valetudinem imprimis viresque corporis, deinde honores in civitate benevolentiamque inter cives, & in bello salutem, postremo rei familiaris honestam amplificationem, ab eis impetrare. Haec qui fecerit, promovebit sui, suorum aliorumque salutem, atque Dei solius gloriam, quae sit actionum mearum principium &

F I N I S.

ERRATA.

	<i>menda</i>	<i>emenda.</i>
Pag. 7.	lin. 26. imputant	imputari.
8.	1. num	nunc.
9.	1. scientificum	scientificus.
	- complexum	complexus.
10.	5. omissam	amissam.
24.	27. enecatis	execratis.
27.	3. sapientiam	sapientium.
30.	20. infaniam	infaniam.
38.	4. cognosciturum	cogniturum.
42.	7. in solubili	insolubili.
48.	6. videre	viderer.
49.	9. privativa	privativi.

NOBILISSIMO ET PRAESTANTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

Παντ' ἀγαθὰ precatur

P R A E S E S.

**A**Ntiquum est proverbium quod *Cogitationibus & expanso panno multum decedat*; quemadmodum enim novitates ingeniosè excogitatae, curiositates argute declamatae acutas aures valde titillant, ut cum BARTHOLINO in *Medic. Dan. domest. dissert. 10. p. 469.* exclamare possem: *illud seculum terminus, ut bene cogitata in deteriorem partem trabantur, & strenue domestica sordeant*, licet multis, novis opinionibus & inventis magna pars veritatis & utilitatis decedat: qua de causâ interdum assensum meretur *Judaeorum* effatum, quod *racematio veterum melior sit, quam vindemia ultimorum temporum*, vid. CAVE *antiquit. apostol. dedic. col. 3. a.* hinc PLATO exclamavit & declaravit in *Phileb. tom. 2. p. 16. veteres meliores quam nos erant, & proximiores Diis fuerunt*: ita antiquorum attentae & circumspectae observationi haud fides deneganda erit, quippe qui memorabiles & mirabiles casus in veritate facti sincere commemoraverunt, & quid solitis ac propriis naturae viribus contigit, ingenue recensuerunt, quicquid vicissim naturae ordines superavit perinde indicarunt: horum vestigia varii prudentes observatores proximiorum aevorum legerunt, qui nec sciolo Scepticismo, nec luxuriosa curiositate seducti & occaecati fuerant: inde in *Historia Medica* innotuerunt casus mirabiles & quasi miraculosi, videlicet hominum bis mortuorum & semel

mel sepulcorum, pro mortuis habitorum & praeter omnem spem resuscitatorum, iterata apoplexia taetorum, gravissimo capitis vulnere laesorum, Phthisi, Hectica, Hydrope, pernicioso ulcere, lethifero Sphacelo, laborantium vel sponte curatorum, vel lethali prognosi relictorum, vel praeter omnem expectationem cum admiratione restitutorum, vel eorum, quos medici & chirurgi pro semimortuis habent & tractant, quorum inexpectata sanatio miraculis medicis, divina directione & benedictione concurrente, adscribi meretur; quare varia in & cum natura eveniunt, quae omnino miraculosa sunt. Haec notatu digna observatio permovit TE CLARISSIMUM DN. CANDIDATUM, ut *Medicinam fere & vere Miraculosam* docta TUA Inaugurali Dissertatione commendaveris & confirmaveris. Transacta enim nunc illa est periodus, qua apud nos curriculum Academicum, Medico Studio dicatum, absolvisti & praeter reliquum cimelium ac thesaurum aliarum elegantium utiliumque Scientiarum, laudabili probitate, honestate & integritate vitae, optimis moribus decoratae, commendabili solertia, judiciofa attentione & praeclara constantia Acroases Doctorum excepisti, ut nunc dignus aestimari merito possis, quo ornamento & Privilegio Honorum Doctoralium, solenni modo, ab Illustri Facultate Medica confirmatus & instructus, reliqua honesta & salutaria officia Medica legitime administrare queas. Cui proposito ut divina Gratia coelestem benedictionem, salutare successus, virium animi & corporis necessarium robur & optima quaeque largiatur, est quod in votis meis habeo. Vale. Dab. VII. Calend. Augusti, MDCCLIII.

Quid

**Q**uid video? quae scena oculis patet obvia? Divi!  
 Sic licet audaces e styge ferre pedes?  
 Quae Dea TE rapuit furvo Plutonis ab antro  
 HAFNER? quive Deus tam rude stravit iter?  
 Portas, quas aeternus obex gravat, & tria vincla  
 Quis rupit? pessum quis dedit omne jugum?  
 Non hominis sed mira Dei TE dextra reduxit,  
 Auxilio Phoebi per nigra regna meas.  
 Pandit is, ecce! hodie templum, quod gloria lustrat:  
 Pro meritis Laurus, Fama Decusque venit.  
 O charum Superis! resplendet lumine laudis,  
 Quem tumulare petit nox atra, plena probris.  
 Castalidum fontes remonent obliviam rerum,  
 Quas delent Lethes, ter pigra stagna, lacus.  
 Quid non in plausus animer? Cur vota refracnem,  
 Qui TIBI Thesea junctus ubique fide?  
 Sors eadem amboſ tetigit, properavimus ambo  
 Per mare, per terras, aspera, plana, nives.  
 Lux sacra! quo centro positus licet esse quietis  
 Amplexu tenero prodere vota, fidem.  
 Nil fuit, unitos quod nos sejungeret unquam,  
 Nil erit; ad cineres sum tuus, esto meus.  
 Dent, VegetVs Vernes frVItVrVs honore perenni,  
 NVMLna, sVCCeſVs & rVa Vota beent.

Accinit isthaec affectu vere fraterno  
 & fere infinito

GEORG. HECK, Doct. Med.  
 Landavio-Altarus.





*Signore,*

L'occasione presente, di felicitar V. S. acclamabile per la dignità dottorale, non solamente astringe l'obligatione della mia amicitia di mostrarcela per la presente, mà rinnova anche la mia devotione, con la quale non posso altrimenti ch'aver in grandissima stima e ammirar i suoi meriti fاندole tutte le congratulazioni, quali vengono da un core e affetto sincerissimo. Il grado dottorale, che V. S. è sul punto di ricever, è tanto proprio delli di lei meriti, quanto è parimente assai vosegno della di lei capacità e dottrina, della quale V. S. hà mostrare le ottime pruove nella sua dottissima disputa: m'allegro molto con V. S. e colli altri suoi amici, la ringratio assai per lo cortese ufficio, che l'è piaciuto di aver mi scelto il suo opponente publico; in tanto son sicuro che ne la quantità ne il sforzo de' suoi auverfari supereranno il grande valore di V. S. Non può far naufragio in nessuna cosa del mondo chi hà tanto fondamento di virtù, come hà V. S. la quale con la certa e uniforme regola della sua prudenza sò che si governa in modo, che si mostra sempre stabile e ferma in tutte le alterationi humani. Il sievole delle mie forze, la brevità di tempo, e la strettezza di carra non permettono di apprezzar tutt' i meriti, quali V. S. possede col lampeggiamento, che si vede digia assai di tutti per li molti assempi datine da V. S. Adunque non sarà di bisogno di farne mentione; imperioche niente mi resta che desiare affettuosamente tutto quello che augurano i di lei meriti; e finalmente pregandole di continuar la sua amicitia gradibile verso di me: e può V. S. aver piena sicurezza dalla voluntà, ch'io tengo a desiderar occasione di poterle anch'io mostrar con l'opera l'affetto mio verso di lei, per adempire il desiderio e per poter forisfar all' obbligo mio con quale son di vivo core

*di V. Signoria,*

Hala le 26 Luglio 1753.

Sincerissimo amico  
C. C. KUNSCHIGK DI BREITENWALD,  
Oppon. e Studente delle Leggi.  
I Nim,

Nim, Hochgelarter Freund, dieß Zeichen jener Pflicht,  
Die Deine Freundschaft schuf, von Deines Freundes  
Händen;

Der ob er Dir jezt gleich, zum Scheine widerspricht,  
Dir doch den Doctör-Hut mit Ruhm sucht zuzuwenden.

Die Freundschaft, die Dir längst von mir gewidmet ist,  
Heißt mich, geehrter Freund, Dir diesen Wunsch be-  
reiten :

Das Glück, dessen Du durch Fleiß längst würdig bist,  
Bewestige, diesen Tag, den Wohlstand künftger Zeiten.

P. J. F. Selmershausen,

aus Erfurt, Opponens.

---

*Monsieur,*

C'est donc aujourd'hui que vous entrés dans la brillante  
Carriere, que votre merite s'est tracé! Vous vois-je enfin  
atteindre à la recompense de vos travaux? Recompense, que  
le destin n'a différé que pour la rendre plus glorieuse. Ne me  
demandés pas, si je suis touché de cet heureux evenement; no-  
tre amitié admetteroit-elle de semblables demandes sans être  
blesée? Non, Mon très cher Ami, ces beaux liens sont trop  
étroitement notiés pour vous cacher les doux ressentimens  
d'un Coeur sensible. La rendresse & la sincerité; ces nobles  
compagnes de notre amour vous en Convaincront. Que ne  
pouvés vous voir ces transports de joie & de satisfaction  
qui me saisissent? Que ne pouvés vous dans l'interieur de mon  
Ame trépercer jusqu'à ces voeux sacrés qui ont pour digne  
objet vôtre conservation & tout ce qui peut contribuer à vous  
faire goûter les delices d'une vie glorieuse & contente! Ap-  
puyés sur votre vertu, dans le sein du repos, vous pouvés bra-  
ver

ver d'un oeil tranqui la Geule écumante de la medifance : vo-  
tre integrité abbaiffe les efforts de la noire Calomnie &  
les anéantit. La vraye vertu brille d'un éclat que rien ne  
ternit, elle fe guinde au deffus des sentimens de la fange & de  
l'envie. Enfin, mon très cher Ami, confervés moi vôtre affe-  
ction & continués de m'aimer. Plut au Ciel de reculer les tri-  
stes momens qui m'arracheront de vos bras, mais qui n'ebra-  
leront point mon Amour. Notre amitié n'en fera qu'affermie  
& nourie d'un feu plus violent. Ni le tems, ni l'éloignement  
ne fteriront l'estime & la tendresse avec la quelle je ferai jus-  
ques à la fin de mes jours

*Monsieur,*

à Halle ce 24. Juillet 1735.

*Vôtre très fidel & très obeiffant  
Ami & Serviteur*

G. C. PFEFFEL,  
de Colmar en Alface.

---

PRAENOBILISSIMO ET ORNATISSIMO  
DOMINO DOCTORANDO

AMICO AMICORUM OPTIMO

S. P. D.

EBERHARDUS FRIDERICUS HECHT,

HALBERSTADIENSIS,

STUD. JURIS.

Hem! qua exultem laetitia & quo jamjam triumphem gau-  
dio? Cathedram, summam Medicinae dignitatem conse-  
quutus, gloriosus conscendis, Deo gressus & progressus  
tuos, in scientiis factos, feliciter dirigente & promovente.  
Adest tandem, perpessa tam multifaria fortunae catastrophe  
&

& exantlatis vitae anteaetae oneribus & operibus, adest, inquam  
faustus, & serena fronte arridens atque conspiciendus, dies,  
quo de amore, erga TE integerrimo, argumentum, in perennis  
memoriae monumentum, TIBI, litteris his gratulatoriis, redde-  
re officium meum & suadet & jubet. Singulare abs TE, amice  
aestumatissime, contendam studio, ut inveteratam amicitiae  
nostrae sincerissimae consuetudinem continuare, atque, mei  
memoriam conservare velis: persuasus praeterea esto, nihil  
mihi magis in votis esse, quam ut conatibus TUIS adsit sum-  
mum Numen; hocque favente & benedicente omnia TUA ce-  
pta prospere procedent in illius solius Gloriam, in reipubl.  
emolumentum, in amicorum solamen & aegrotorum levamen.  
Ceterum usque ad busta perennans sum TIBI devinctissimus,  
quem me tenere ac habere non cesses. Vale. Dab.

Halae VII. Calend. Augusti

MDCCLIII.



P. 12.

ULB Halle  
002 612 259

3





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
**MEDICINAM**  
 VERE ET FERE  
**MIRACULOSAM**  
 SISTENS

*Quam*

AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Consensu atque Auctoritate Gratiöse Facultatis Medicæ,*  
 IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
 PRÆSIDE ET PRORECTORE  
 VIRO MAGNIFICO

**DN. D. MICHAELE ALBERTI,**  
 SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEBURG.

CONSILIARIO SENIORE, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESS.  
 PUBL. ORDINARIO, ALUMNORUM REG. EPHORO SENIORE,  
 FACULT. MEDICÆ SENIORE ET P. T. DECANO SPECTABILI,  
*Domino Patrono, ac Promotore & Præceptore suo, omni honoris cultu prosequendo,*  
**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMIQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS  
 DOCTORALIBUS LEGITIME MORE MAJORUM IMPETRANDIS,  
 ANNO MDCCLIII. D. JULII.

HORIS LOCOQUE CONSVETIS  
 PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET

AUCTOR  
**MATTHIAS HAFNER,**  
 COLMARIA-ALSATUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
 TYPIS JOH. CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

